COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS VII. PARS I.

LIPSIAE. MDCCLVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

UNIVERSITY OF OKLAHOMA
LIBRARY

C 736
v. 7

I.

Hiſtoire naturelle générale et particuliére avec la deſcription du Cabinet du Roi. Tome ſixiéme, à Paris de l'imprimerie royale. 1756. 4 mai. 1 alph. 21 pl. tab. aen. 57.

h. e.

Hiſtoria naturalis generalis et particularis, cum deſcriptione muſei regii Tom. VI.

Euoluimus nuper * ab illuſtribus viris BVFFON et DAVBENTON ſuper hiſtoria naturali elaborati operis volumen quintum, quod in ordine nunc ſextum excipit, in quo de beſtiarum ad venandum aptarum natura atque indole plura perſequuntur. Primum in arenam producitur felis, perfida illa inquilina, quae ad alium moleſtiorem inquilinum expellendum ſeruatur. A natura praedatrix publica, bona vero educatione obediens, blandiens quaſi impoſtrix eſt. Beneuolentiae erga homines ſpeciem tantum praebet. Quod ad animi indolem, quae cum forma corporis et temperamento conuenit, felis eſt lepida, facilis, apta, munda, voluptuoſa, in primis femina amori magis dedita, quae marem ad amorem incitat, quamuis coitus magnis cum doloribus coniunctus eſt. Atque

p. 3.

p. 4.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 243 ſqq.

Hist. Science

que haec obſeruatio notatu valde digna eſt; ſiquidem in omnibus fere animalibus obtinet, quod mares ad venerem foeminis procliuiores ſint hasque ad coitum
p. 5. diuerſimode ſollicitent. Catuli felium ſunt viuaces, lepidi, vigiles, atque a natura perfectiores venatores canibus. Monachi graeci inſulae Cypri feles docuiſſe dicuntur ſerpentes capere. At quia hae beſtiae debilibus animalibus inſidiari ſolent, ad eius modi venationem magis vi indolis, qua ad deſtruendum praeditae ſunt, quam ex obedientia adſuefieri paſſae ſunt. Quia odore carent acri, beſtias non perſequuntur, ſimul
p. 7. ac ab oculis abſunt. Cur vero beſtiis inſidientur, eius rei cauſſa in oculorum conformatione habetur, quippe in quibus contractio et dilatatio pupillae tam inſignis eſt, ut quae in tenebris pupilla larga et rotunda fuit, ea interdiu oblonga fit atque tam arcta, ut fere ad lineae figuram comprimatur. Quo fit, ut haec animalia noctu melius videant, quam per diem: id quod in noctuis, eodem modo ſe habet. Incolunt quidem domus, ſed non plane domeſticae, prorſus potius liberae beſtiae ſunt, plurimae ſemiferae. Abs-
p. 8. portatae quam longiſſime reuertuntur, quia faciliori negotio priſtina loca reperiunt, quam latibula nouae terrae detegunt. Fugiunt aquam, frigus, foetorem; amant vero loca calida, res bene olentes, quare herba ab ipſis denominata, quae eſt mari ſpecies, germanis *Katzenkraut*, maxime capiuntur. Quia earum dentes tam breues tamque male poſiti ſunt, ut magis ad cibos lacerandos, quam conterendos inſeruiant, poſſunt lente et difficulter dentibus molere. Ideo quaerunt praeſertim carnem ſubtilem, piſces. Felis fera cum domeſtica gignunt catulos, ideoque ambae
p. 10. ad unam eandemque ſpeciem pertinent. Haec, ſi catulit, deſerta domo, ſaepius feras in ſiluis indagat, domum poſtea reuertens; quam ob rem domeſticarum quaedam feris ſimiles ſunt. Tamen utraque interioribus differunt. Domeſticarum inteſtina ferarum

rum longiora; hae illis validiores ac maiores, labiis nigris, auribus erectis, cauda craſſa, coloribus firmis ſunt. Quodſi vero domeſticae fiunt, earum pili ſubtiliores, colores varii, atque in zona fauente pili longiores, concinniores, ſpiſſiores, colores vero amoeniores, ut niger et ruber rauus, griſeo-fuſcus cinereus facti ſunt. Praeter feras dantur domeſticae p. 20.
labiis et plantis pedum nigris, domeſticae labiis rubris; domeſticae, quae etiam hiſpanicae nominantur, carthuſianae et tandem angorienſes. Harum ſingulas deſcribit Cl. DAUBENTON. Feles ferae a domeſticis longitudine pilorum et inteſtinorum diſtinguuntur, quippe quae in feris tertia parte breuiora ſunt. Angorienſes reliquis domeſticis, immo feris, p. 23.
maiores videntur, quod pilis longioribus frequentioribusque munitae ſunt. Linguam felis Auctor in apice admodum tenuem deprehendit, papillis acutis, pilorum inſtar tectam. Caput oſſeum ſimile eſt ca- p. 38.
piti canino, quamuis cute et pilis veſtitum, eidem admodum difforme ſit. Dentes numerantur triginta, et in his quatuor tantum molares in utroque maxillae ſuperioris latere, et tres in utrolibet latere maxillae inferioris. In muſeo regio inter alia ſeruantur qua- p. 49.
tuor foetus felium per chordam umbilicalem inter ſe coniuncti, et varia inſuper felium recens natarum monſtra.

Finita igitur hiſtoria felis naturali, cum qua ſimul enarratio animalium domeſticorum finitur, Auctores noſtri ad explicationem beſtiarum ferarum accedunt, deſcriptione cerui orſi, nobiliſſimae ferae, quae hominum nobiliſſimis voluptati eſt. Praemittitur ta- p. 55.
men breuis tractatio de beſtiis feris in genere; quas Auctor frui dicit libertate et amore, unicis illis naturae beneficiis, quibus prae homine gaudent. Nullius enim vi ſubſunt, niſi climatis, quod ſua temperantia et manſuetudine eas emollit, nec ſinit eſſe tam feras et truces, ut in zona torrida et frigida. Quem p. 57.

admodum enim clima tempeſtatis excedentis, res producit, quarum qualitates a mediocritate vehementer recedunt; ita in temperata zona res producuntur temperatae: cuius rei inſigne documentum vel hoc eſt, quod magnitudo et forma rerum naturalium, animalium, herbarum cet. tanquam qualitates fixae et determinatae, ab climate aeque dependent, ac qualitates rerum relatiuae. Hinc magnitudo et ſtructura noſtrorum quadrupedum a vaſtitate corporis elephantini aut Rhinocerotis inſigniter diſtant; maximaeque aues noſtrae ad ſtruthio-camelum aut caſcarium
p. 60. comparatae admodum paruae ſunt. Interim bruta fera in genere animalium, nec ipſo homine excepto, minimam generis mutationem patiuntur. Iisdem nempe alimentis ſemper veſcuntur; eidem ſolo manent affixa, neque a quopiam, quam ab homine, infeſtantur, quem, ubicunque locorum degit, terror comitatur, in ſui ſimiles bellum et in pecudes im-
p. 66. manſuetas ferocia. Nunc ad ceruum cum Auctore accedimus. Ad hunc capiendum cognitio, experientia adquiſita, regii adparatus, homines, equi, canes ad unum omnes bene exercitati atque edocti requiruntur. Venatoris eſt, eius aetatem atque ſexum veſtigiis et excremento diiudicare. Ea melius expreſſa ſunt in ceruis maribus, quam in feminis, quum praeſertim quater cornua accipiunt. Hoc ſicca aeſtate detegitur. Magna aſtutia utitur, ut venatores effugiat; flectit curſum; at repertus iam feſſus eſt, canes vero ardentiores fiunt, quo debilitatior et quo arden-
p. 71. tior ceruus eſt, tandem praeceps fit in aquam. Optimum agitandi tempus eſt ver et autumnus, moleſtiſſimum hiems, ſi nix cecidit. Tempore verno cornua fiunt decidua, prius hieme miti, tardius aſpera
p. 73. ac diuturna. Simulac longitudinem iuſtam ac firmitatem acceperunt, arboribus adfricant ad ea decorticanda. Inde etiam pro ratione arborum cornuum color a non nullis dicitur. Traduntur catulorum cornua

cornua laeuia, baccis paucis non adeo calorem ducere, ac ſenum ceruorum baccis ſpiſſis; quoniam hae ſuccum cornua tingentem retinent. At ceruorum, locis arboribus orbis incluſorum, cornua aeque ac aliorum infecta erant: quae ſi fuſca ſunt, catulire incipiunt, ſeniores cerui primum, iuniores ſerius. Duo ſi conueniunt, certant de cerua. Virtute pares minitantur ſeſe inuicem, unguibus terram pulſant, rugiunt vehementer, impetum in ſemet ipſos faciunt, trudunt ſeſe inuicem cornibus ramiſque paene uſque ad mortem. Certaminis finis alterius aut caedes aut fuga eſt. Scimus etiam duo ceruos ita inter ſeſe certaſſe, ut uterque ceciderint. Videri itaque poſſunt eorum capita cum contortis cornibus in arce Friburgi Saxoniae noſtrae propter Oneſtram, ubi etiam plura ſingularia de ceruis ſpectanda dantur. Hoc catuliendi tempore, quod quotannis bis accidit ſaepius, parum edunt, minime dormiunt cerui. Vnde vero p. 80.
oriuntur cornua, quibus interdum ceruae ornatae dicuntur? Ex pabulo, eodemque abundanti, ex quo tum cornua, tum liquor ſeminalis originem ducunt. Id, quod ex eo cognoſcere licet: quodſi enim tempore, quo cornua decidua ſunt, organa, quibus ſemen ſecernitur, per caſtrationem deſtruuntur, noua in locum deciduorum nunquam proueniunt. Deinde etiam cerui, qui ſufficienti ac pingui pabulo, item quieta vita utuntur, cornua pulcra, excelſa, ſpatioſa, in digitatam palmam figurata, firmis truncis, plenis baccis, multis longis ac firmis ramis habent. Quod aliter eſt in ceruis, qui male valent. Atque haec eſt cauſſa, cur feminae damae, capreae, alcae cornibus careant, quia minus, quam mares edunt, et ſi abundantia adeſt, praegnantes fiunt, et alimentum ad alendum foetum adhibent. Repugnat quidem rangifer femina, cornibus praedita. At hoc exemplum probat magis, quam ut ſit contrarium, quia cornuum incrementum tempore praegnationis non impe-

p. 84. ditur. Praeter ea eorum natura ligno ſimillima eſt, atque pars cerui tantum accidens, quae quotannis robore ac magnitudine creſcit. Inter ea pro ratione pabuli, magna, ſubtilia, laeuia in humidis et fertilibus regionibus, contra ea in ſiccis et infecundis breuia, dura et grauia ſunt. Idem valet de magnitudine et forma ceruorum. Nam cerui campos, valles collesque, ubi plus frumenti creſcit, habitantes, maiori corpore excelſioribusque cruribus praediti ſunt, prae ceruis ſiccas, aridas, ſaxoſas regiones, habitantibus, inter quos corſicanus minimus vel quaſi ceruorum
p. 96. pygmaeus eſt. Quod ad eorum colorem attinet, is giluus, interdum fuſcus, itemque ruber, raro albus eſt; Cornuum vero iuxta, ac pilorum ad beſtiae naturam ad aetatem et aerem ſe fingit, itemque ad naturam interioris texturae. Quia muſices amans eſt ceruus, paſtorum auena aut tibia capitur, quibus
p. 100. etiam venatores utuntur ad eum capiendum. Poſthaec Cl. DAVBENTON phyſicam deſcriptionem cerui perſequitur. Ceruus, qui inter animalia ruminantia refertur, a tauro non magnopere diſtat, praeſertim conformationem corporis internam et inteſtinorum ſi ſpectes. Ea autem, quibus differt, ſunt veſica fellea, qua caret ceruus, figura renum, ſplenis glandisque, et cauda breuior; his addi poſſent cornua cerui ſolida et ramoſa, atque in maxilla eius ſu-
p. 103. periori uncinuli duo. Cornua ſubſtantiae propemodum ligneae ſunt, ad quam ſaltim propius accedunt, quam ad materiam corneam. Noua dum excreſcunt, in capite primo ſunt mollia; mox inſtar trunci arboris exſurgunt, ramis ab utroque latere inſtructa. Cute tecta ſunt cornea, ſiue cortice vaſis ſanguiferis plena, quae incremento eorundem inſeruiunt. Subſtantia eorum indureſcere infra incipit, ſuperiori parte adhuc tumeſcente et molli, quae poſtquam induruit, cutis pariter dureſcit atque corii inſtar exſiccata breui poſt decidit, aut per frictionem ad arbores a cornibus

cornibus fruſtatim ſeparatur. Deiectionem cornuum p. 107.
Auctor eodem modo fieri putat, quo fructus maturi
ex arboribus decidunt. Alio enim tempore, ſi non
decidua, ne vi quidem adhibita a capite poſſunt di-
uelli. Catulus cerui naſcitur fere diſcolor, nec fa- p. 110.
cile unicolor fit, niſi exactis nouem menſibus. In
corde cerui duo oſſa conſpiciuntur, maius aliquod
cum minori altero, oſſibus in corde bouis ſimillima.
Teſticulorum in ſcroto alter ante, alter pone ſiti ſunt, p. 121.
cum in tauro reliquisue quadrupedibus, tantum non
omnibus, alter ad latus alterius iaceant; ſpatium enim,
ubi ſcrotum dependet, teſticulis alium ſitum non per-
mittit. Oſſa capitis ceruini pro ratione corporis lon- p. 129.
giora et tenuiora ſunt oſſibus capitis in tauro. Maxil-
la item ſuperior anguſtior eſt, inferior minus arcua-
ta et occiput magis conuexum, praeſertim circa oſſa
temporum. Hoc diſcrimen longitudinis in occipite
ab apophyſibus oſſis frontalis deriuatur, cui cornua
inſiſtunt. Dentium in ſuperiori maxilla octo inciſo-
rum, duo medii prae reliquis ſex latitudine inſignes
ſunt, ibique praeter eos, quos cum tauro communes
habet ceruus, duo adhuc apparent dentes uncinati,
qua ſitum et radices caninis ſimiles, ſuperne tamen
non acuti, ſed rotundi ſunt. Numerus eorum, quae p. 140.
in cimelio regio ad illuſtrandam hiſtoriam cerui natu-
ralem aſſeruantur, monſtrorum, ſceletorum, cor-
nuum valde ramoſorum et ex parte diſformium nu-
merus ſatis magnus eſt, cuius ne potiores quidem
partes indicare poſſumus.

Ceruo paene ſimilem damam nunc ſibi deſcriben- p. 167.
dam ſumit Cl. BVFFON, quae tamen ceruum fugit,
nunquam cum eo congreditur adeoque nullam ſpe-
ciem intermediam progignit; domeſticis beſtiis ſimi-
lis eſſe videtur, atque in temperata zona reperitur.
Praeter vulgarem et albam dantur hiſpanica, virginia,
quae omnes in eo conueniunt, ut earum cornua ſub-
tilia, plana, magis in latitudinem ſe extendentia

pluribus ramis, quam ceruorum ſint, at decidua ta-
p. 171. men ſunt. Quando catuliunt, id, quod tardius duas aut tres hebdomadas, quam in ceruis accidit, rugiunt quam ſaepiſſime, at voce quaſi compreſſa et ſubmiſſa, tamen non adeo ardent, ut cerui, nec feminas quaerunt, quamuis de eis certant. In theriotrophio quando aluntur, duo agmina conſtituunt, quorum quodlibet duce, eaque veterrima et fortiſſima, gaudet. Ibidem certant de pingui pabulo, donec fortiores debiliores expulerunt. Amant terras excelſiores, collibus minimis. Si canibus urgentur, eodem fere dolo, ac cerui utuntur. Facile cicures fiunt, at-
p. 175. que pinguiores ſemper ſunt ceruis. In deſcriptione damae phyſica et anatomica Cl. DAVBENTON breuis eſt, quod hiſtoria cerui multa iam habet, quae hoc loco de dama repetenda eſſent. Nam ſimillima ſunt haec duo animalia cum corpore tum inteſtinis.
p. 190. Tandem et huius quadrupedis cuſtodiuntur in cimelio regio varia ſceleta, capita, cornua inſignia et non nunquam difformia, aliaque exempla bene multa.
p. 198. His ſuccedunt capreoli, incolae ſaltuum, quorum indoles ceruorum agilior, forma elegantior, motus celerior, veſtis purior, pili nitidiores ſunt. Maiore dolo utuntur ad canes eludendos, quia fortiorem ſuauioremque odorem poſt ſe relinquunt. Exeunt, cohabitant non cateruatim, ſed familiae; quae conſtant ex parentibus duobusque catulis, qui quidem tempore catulitionis a patre pelluntur, ſed praeterlapſo hoc tempore ad matrem aliquamdiu redeunt. Eo tempore, quod per decem et quatuor dies durat, et in exeuntem octobrem incidit, ſunt in amore ceruo conſtantiores atque capreis ſimiliores, praeterquam quod ſaltus incolunt et cornua gerunt. Menſis maius, hiems gelida et niuoſa ipſis periculoſa
p. 205. ſunt. Quia ſubulae eorum vulgo martio menſe prius quam arbores progerminant, cornua non arboris ſucco, aere potius tinguntur. Eaedem, ſi molles

ſunt,

ſunt, ſupra modum irritabiles. Matrix cornuum eſt index, quot annos egerint, quae creſcit quotannis cornuum altitudine et ramorum numero imminutis. Propter indolem feram cicures fiunt, minime obe- p. 208.
dientes et familiares. Catuli clamant *mi-mi*, voce tamen quaerula et iuuenili; qua audita accurrit mater ad eos nutriendos. Inter ea imitatur hanc vocem venator et capreolus traiicitur globo. Capitur etiam vere, ſi gemmas, frondes virides et germina decerpit, quae eum quaſi temulentum faciunt. Propterea eorum caro edulis eſt, ex quibus praeferenda eſt capreolorum, qui ſiccas et ſublimes terras, colles, ſaltus, noualia, ſata incolunt, ubi multum aeris, ſpatii, pabuli et quietis fruuntur. In America frequen- p. 210.
tiores ſunt, in primis in Braſilia capreoli cornibus carentes, et praediti reperiuntur, quorum illi *Cuiuacu-ete*, hi *Cuiuacu-apara* nominantur. Iam Cl. p. 213.
DAVBENTON deſcribere capreolum incipit, omnium primo ad cornua maris attendens, quibus a capro diſtinguitur, ad figuram externam viſcerumque ſtructuram internam, namque in his capreolus cum ceruo, quanta eſſe maxima poteſt, ſimilitudinem habet. Extrinſecus a ceruo differt tum oculorum angulis, quibus caret, tum cauda, quae ei propemodum eſt nulla. Cornua capreoli pluribus rimis et cauitatibus gaudent ac ceruorum, baccis tamen paucioribus, iisque in parte trunci inferiori poſtica tantum conſpicuis. Memoratu dignum eſt, ſitum inteſtini coe- p. 219.
ci in diuerſis capreolis non eſſe eundem, ſed modo in regione umbilicali verſus regionem hypogaſtricam recuruatum, modo a dextra ad ſiniſtram in regionibus iliaca et hypogaſtrica extenſum: id, quod etiam in ceruis interdum obſeruatur. In corde capreolorum, ut in ceruino, reperitur os grande, modo tamen unum, et loco alterius minoris cartilago dura. Sequuntur dimenſio partium externarum internarum- p. 223.
que et in theſauro regio repoſitarum ampla recenſio. p. 237.

Abſoluta

p. 246. Abſoluta capreoli deſcriptione Cl. BVFFON tranſit ad hiſtoriam naturalem leporis, qui idem ac leuipes denotat, vel iudice VARRONE, a graeco vocabulo antiquo ab Æolibus Boeotiis λεπορις appellatur. Hae beſtiae frequentes reperiuntur et valde multiplicantur, quia ſemper ad catuliendum aptae ſunt.

p. 253. Cauſſa eſt muliebris virgae glans, quae ſemper eminet, et tam firma, quam maſculae. Quoniam etiam vulua paene videri nequit, marium quoque iuuenum neque ſcrota neque teſticuli extrinſecus in conſpectum veniunt, mas a femina aegre diſcerni poteſt. Exinde inter lepores multos hermaphroditos ſeu androgynos dari dicunt, qui alternis vicibus tum mares tum foeminae eſſent. Qui naſcuntur, naſcuntur oculis apertis, et viginti diebus poſt a matre ſeparantur, ipſi cibum quaerentes. Sed non longe abſunt a loco partus. Magis noctu, quam diu edunt herbas, radices, folia, fruges, plantas ſucci mellei, hieme vero cortices arborum, exceptis tilia et alno. Non nulli ſcriptores lepores inter animalia ruminantia, ſed falſo referunt. Nam uno tantum gaudent ventriculo et conformatione inteſtinorum a ruminanti-

p. 255. bus prorſus diuerſa. Cum oculis quaſi laborare videntur, gaudent auditu ſubtili et praegrandibus auribus, etiam ad curſum proſequendum breuioribus pedibus anterioribus, et quia plantae piloſae ſunt, fugiunt ſine tumultu. Forſitan ſoli pilos intus in ore gerunt. Eorum vita ſuperat octo annorum ſpatium.

p. 256. Ob manſuetam indolem ad educandum apti ſunt et edocti ad tympanum pulſandum et motus ſecundum menſuram faciendos. A natura etiam praediti ſunt inſtinctu ad ſeſe conſeruandos atque aſtutia ad eludendos hoſtes, quae vero celeri curſu et flectendo eo conſiſtit, non vero ſecundum ventum, ſed ſecundum oppoſitum latus: qua quidem mares feminas ſuperant. Horum ſunt duo genera, montani et campe-

p. 259. ſtres. Illi et ſeptentrionales hieme albeſcunt, Americae

ricae ſeptentrionalis incolae pilorum nunquam defluuium patiuntur. Etiam obſeruatu dignum eſt, vaporem ex ſuo corpore exiguum excitare fumum, coelo ſereno aereque puro, ac lepore in ſuum cubile redeunte, quem venantes exercitati e longinquo animaduertunt; quod etiam VIGNEVIL DE MARVILLE obſeruauit.* Quod ad deſcriptionem leporis phyſicam attinet, lepus variis characteribus ſimul ſumtis a reliquis quadrupedibus, praeſertim a cane, fele et cuniculo facile diſcernitur. Labro utitur ſuperiori ad nares uſque fiſſo, auriculis admodum longis, pedibus poſticis valde longis, anticis breuibus, caudaque breui. Mari nondum adulto nullum eſt ſcrotum, quod ubi demum in conſpectum venit, duplum oritur, nempe ab utraque latere unum. Partes genitales maris tam ſunt abſconditae, ut niſi propius inſpiciantur, obſeruari nequeant. Vterus feminae collo caret. Inteſtinum coecum ad modum eſt longum, ſingularemque in modum compoſitum. In loco coniunctionis ilei cum colo orificium habetur excurrens in aliud colon minutum, formam ſacculi oualis repraeſentans. Maxima leporum pars ſtatim a natiuitate in fronte pilos aliquos albos gerit, maculam repraeſentantes, qnae ſtella appellatur, quaeque ab eo ſtatim tempore, ubi pili primum defluunt, euaneſcit, quamuis in non nullis etiam remaneat. Virga maris abdomini non adhaeret, quod in hoc animali plane eſt ſingulare, ſed ab eo ſeparatur. Sexus leporum difficulter quidem cognoſcitur, eius tamen certa habentur criteria: nempe ſi infra anum peritonaeum adeſt, orificio preputii tunc quatuor aut quinque lineis ab ano diſtante, maris id eſt indicium; in femellis autem vulua ab ano aliter non eſt ſeparata, quam per eius et inteſtini recti parietes, ſeptum unius aut duarum linearum, qua craſſitiem conſtituentes. Muſaeum regium, ad illuſtrandam leporis cognitio-

p. 262.

p. 264.

p. 457.

p. 268.

p. 280.

* *Melanges d'hiſtoire et de literature* T. II. p. 457.

cognitionem varia ſeruat capita, ſceleta, foetus leporum, dentes, os hyoideum cet.

p. 303. Agmen tandem claudit cuniculus lepori ſimilis, qui cum eo num coeat, dubium quidem, ſed credibile eſt. Mira tamen fecunditas eius eſt, adeo ut unum par, unius anni ſpatio ſex mille procreauerit; id quod ex eo oritur, quoniam non tantum frequentior lepore et plures catulos pariat; ſed etiam quoniam ob efoſſa latibula hoſtibus, lupo, vulpi, rapacibus auibus non tantopere expoſitus eſt. Eſt vel fe-

p. 306. rus vel domeſticus. Illius color canus, huius vero varius. Si parit, foueam linea curua effodit. Pilos ex ventre vellicat, ex quibus lectum, ad catulos in eo deponendos ſternit. Primis duobus diebus catulos non deſerit, niſi neceſſitate pabuli coactus, quod celeriter aſſumit. Per ſex hebdomadas, nutriuntur, pater filios non conuenit; at quando oram foueae attingunt et a matre praebitas herbas deuorant, tune pater eos agnoſcit, ſumit intra ungues, lambit eo-

p. 309. rum pilos oculosque. Inter eos regnat tum pietas erga parentes, quae etiam inter poſteros viget, ut ſemper etiam auum nepotes, quamuis patres ſint, ve-

p. 312. nerentur. Quae Cl. DAUBENTON in lepore notatu digna obſeruauit, ea maximam partem in deſcriptione cuniculi repetit, eiusque diſcrimen a lepore, quod ſane exiguum eſt, oſtendit. Ad quod conſtituendum vel in primis facit inſignis illa auerſatio, quae inter haec duo animalia intercedit. Cuniculi domeſtici feris plerumque maiores ſunt, quod pabulo largiori, motuque liberiori utuntur. Pupilla ipſis rotunda eſt, et in tenebris valde dilatata; ſuperueniente luce contrahitur, fitque inſigniter oualis li-

p. 316. neolae inſtar. Cuniculi angorenſes pilis longioribus atque criſpis ſtipati ſunt. Caetera, quae Cl. Auctor de inteſtinis cuniculorum, ad leporum inteſtina comparatis, accurate diſputat, lectorum ſtudio relinquenda putamus.

II.

II.

Die Natur - Geſchichte der Thiere in ſyſtematiſcher Ordnung. Die Vierfüsſigen Thiere, welche lebendige Jungen zur Welt bringen, nebſt der Geſchichte des Menſchen, entworfen von IOHANN SAMVEL HALLER. *Mit Kupfern. Berlin, bey Chriſtian Friedrich Voſs.* 1757. 8. alph. 1. pl. 18. tab. aen. 11.

i. e.

IOANNIS SAMVELIS HALLERI hiſtoria naturalis animalium ſyſtematica. Animalia quadrupeda viuipara una cum hiſtoria hominis.

In praefatione, quam operi ſuo Cl. Auctor ipſe praefixit, inſtituti rationem reddit, rationes, cur in coordinandis animalibus quadrupedibus Cl. KLEINII methodum ſequutus ſit, affert, quosue auctores in conſcribendo hocce libro conſuluerit, poſthac exponit, atque tandem animalium quadrupedum ouiparorum, auium, animalium aquaticorum, piſcium, inſectorum conchyliorumque hiſtoriam promulgaturum ſe eſſe promittit.

Qui in praeſenti in manibus noſtris eſt, liber praecipuorum animalium, hominis nimirum, phyſice conſiderati quadrupedumque viuiparorum hiſtoriam tradit, cuius ſummam ſtatim exhibemus. In gene- p. 1.
rali, quam de omnibus quibuscunque animalibus praemittit, hiſtoria Cl. Auctor primo oſtendit, qualem tria iſta naturae regna inter ſe alant connexionem, quo modo iſthaec ſe habeat, et quantopere organorum ſit ſimilitudo, quae plantis prae mineralibus cum animali genere eſſe ſolet.

Poſtmodum de varietate animalium agit, quam p. 10.
non ſolum diuerſa animalium figura, eorundem mo-

dus

dus viuendi, mouendi victumque quaerendi, verum etiam aliae affectiones, ut locus habitationis, indoles ingenita, vox, amor, ferocitas, morositas, inuidia, voracitas, generatio atque tum interni tum externi corporis conditiones determinant.

p. 21. His praemonitis homo, omnium creaturarum praestantissima, primum inter animalia Nostro suppeditat obiectum, cuius proinde partes externae et internae describuntur, accurateque perpenduntur, ita, ut consideratione rite facta Auctori nostro ipsas partes hominis cum animantium partibus comparandi data fuerit occasio. Hominis nimirum partes fere omnes animalibus similes esse, huncque ipsum sibi relictum, nec ab ineunte aetate, erecto corpore stare, statim edoctum pari modo, ac animalia quadrupeda quatuor pedibus incessurum esse asserit, puerique istius polonici inferius describendi exemplo illustrat.

p. 57. At vero, cum homo, ut animal, consideratus ab aliis quoad corporis originem et conditionem vix quidquam differre videatur, Noster ideo succinctam nobis tradit hominis historiam, ita, ut omnium insimul aut ad minimum magnorum animalium inde pateat historia. A generatione initium capit, atque ea propter partes generationi dicatas describit, earundem functiones recenset, simulque foetus primordia in maternis ouulis latitare ostendit, ipsa vero animalcula spermatica ab aliis obseruata, non absque ratione in dubium vocat, et corpuscula in semine virili reperiunda et pro animalculis habita, in ouario feminarum pariter reperiri, neque ideo animalcula, sed alia corpuscula esse putat, nihilo autem minus negat, potius semen viri ad generationem absolute necessarium esse, nec absque eo foetum generari unquam posse affirmat. Hominis haec rudimenta in uterum delata vixque conspicua iam nunc perpendens, incrementum eius haud lentum, vitam omnem-

omnemque in utero mutationem, mirandamque eius excluſionem deſcribit, atque recens nunc nati, vixque in auram miſſi hominis hiſtoriam proſequitur ulterius. Omnem igitur vitae mutationem omnesque corporis affectiones recenſet, externorumque tandem ſenſuum ſufficienter facit mentionem. Hos p. 104. nunc conſiderans, organaque eorum deſcribens Noſter pronunciat, omnes hoſce ſenſus non niſi ab uno dependere, omnesque nil niſi ſubtiliorem factum ac magis magisque elaboratum explicatumue eſſe ſenſum. Quo ſubtilius enim corpus eſt, quod ſentire debemus, eo minus id, quod ſentit, latet et abſconditur. Sic, Noſtro referente, oculus omnium ſenſuum ſubtiliſſimus eſt, cum lucis radii, ſubtiliſſimas illas in oculo expanſas nerui optici fibrillas tangentes, corpuſculorum omnium minima habeantur. Praecedentibus minus ſubtiliores ſunt radii ſonori, ideoque ad hos excipiendos tali etiam organo corpus donatum eſt, quod aurem nuncupamus, quae, licet valde etiam tenera, oculi tamen teneritudini omnino cedit. Tertium ſenſum, partes radiis ſonoris minus ſubtiles diſquirentem, naſus conſtituit, atque lingua, guſtus organon continens, ſi ſentire debet, particulas odoriferis craſſiores requirit, omniumque tandem craſſiſſimus ſenſus tactus ita latet et abſconditur, ut non niſi corpora craſſiſſima eo percipi poſſint.

In deſcribendi hominis naturalis hiſtoria Noſter p. 117. progrediens notat, magnas illas in orbe terrarum olim euenientes mutationes, v. g. gentium migrationes, bella diuturna, itinera, mores cet. omne hominum genus ita diſſeminaſſe et commiſcuiſſe, ut vera hominis naturalis notio neutiquam inde erui poſſit; ſolosque forſitan homines feros ad haſce diſquiſitiones adhuc aptos eſſe dicit. Cum autem et iſti ſocialitate iam immutati appareant, Noſter ideo ſuadet, ulterius regrediendum, hominemque eo tempore conſiderandum eſſe, ubi nullis adhuc vinculis

ſocietatis adſtrictus nulloque vitio contaminatus eos duntaxat animi affectus poſſidet, qui in naturali quodam, ad conſeruandum corpus propagandumque ſui genus abſolute neceſſario, inſtinctu poſiti ac ingeniti
p. 120. iſtum ſolum de ſe ſollicitum eſſe monuerunt. Talis homo ille eſt, qui a Cl. Auctore homo quadrupes nuncupatur. Aſt, licet eius modi homo imaginarius videri tantum poſſit, ſiquidem primus omnium ſtatim ab initio erecto corpore donatus fuit, tamen, meram hanc poſſibilitatem non eſſe, quiuis omnino fatebitur, cui naturalium rerum hiſtoriam euoluere placuerit. Fuerunt nimirum, qui, inter animalia fera reperti, quatuor quaſi pedibus inceſſerunt, multaque cum iisdem, quibuscum hactenus vixere, animalibus communia habuerunt. Sic v. g. anno 1694. in ſyluis Lithuanis puerum inter urſos repererunt, qui manibus pedibusque cito inceſſit, cuiusque vox, quam edebat, nullam plane cum humana habuit ſimilitudinem. Hoc pluribusque aliis, quorum mentionem facit Cl. Auctor, hominem quadrupedem non ſolum poſſibilem eſſe, verum etiam dari, comprobare ſtudet, eumque hinc deſcribens aſſerit, omnes eius partes, ob inceſſum horizontalem, aliquam in ſitu et figura pati immutationem. Talis igitur, ſecundum Noſtri deſcriptionem, quatuor incedit pedibus, caput eius, figura aliquantiſper longa praeditum, naſum planiorem, aperturam oris maiorem, mentum elongatum, aures mobiles nec appreſſas gerit, hirſutum undique eſt, atque a ſuperiori poſteriori et inferiori parte crinibus, cum barba in ſexu potiori coniunctis, obtegitur. Brachia pedes eius anteriores conſtituunt, atque anteriorem partem corporis cum gerant, firmiora ideo fiunt; ſcapulae nunc immobiles coſtis ſe adſociant, axillae in cute ſe occultantes euaneſcunt, totumque brachium una cum manu eam figuram aſſumit, quam anteriores animalium pedes habent. Verum mittamus reliquas partes

eadem

eadem ratione deſcriptas, aliorumque pauliſper mentionem faciamus. Fructus v. g. arborei huic alimenta praebent, atque, ad illos colligendos, arbores ideo ſcandit: Vngues dentesque eius arma ſunt, atque nutritio ſui ipſius, generatio et ſomnus omnes eius affectus conſtituunt. Infantum amor erga matres, harumque erga infantes, tamdiu durat, donec adoleſcant, poſtea ſe inuicem relinquunt. Tale hominum genus, naturae tantum inſtinctum ſequens, nec virtutibus ornatum, nec et ullo vitio contaminatum eſt, nihilque etiam inuenit, cum nec ſocialitate, nec ſignis ad definiendas notiones communes gaudeat. Eiusmodi itaque homines nos et iam nunc eſſemus, niſi adorandus creator primum hominem erecto ſtatim corpore donaſſet, eique ita benedixiſſet, ut omnium animalium nunc dominus ipſam Dei imaginem repraeſentare debuiſſet.

Cum autem homines unius quamuis generis, quo- p. 129.
ad mores tamen diuerſos, diuerſum etiam partium corporis habitum externum, multum varient, diuerſitatem ea propter generis humani recenſet. Vnum igitur alterumque exemplum adduxiſſe ſufficiet. Deſcribuntur v. g. Iapani, homines facie fuſca plana et ampla, corporis habitu corpulento, oculis paruis, barba tenui, nec non coma nigra. Hoc hominum genus ſuperbum, bellicoſum atque peritum, valentioribus corporis viribus praeditum, urbanum, gratum atque verborum lenociniis plenum eſſe dicunt. Paruos pedes, ut Chinenſes, magni faciunt, mature ea propter infantum pedis digitos ſub planta reflectentes. Aliter rurſus Perſi ſe habent, hique corpore magno, macilento, aſt valido, colore in prouinciis borealibus albo, inque occidentalibus flauo, eſſe ſolent. Supercilia et barbam colore nigro obducunt, caputque abradunt. Comitas eorum atque iudicium gratos illos acceptosque reddunt, et ingenio viuaci, promto proficuoque gaudent. Magnopere ſtudia,

artes mathematicas, arma verborumque lenocinia amant; adulatorii, voluptuoſi ſunt, ſumtui non parcunt, amore valde affliguntur, neque bene rem familiarem adminiſtrant.

p. 148. Progredimur ad ipſam animalium hiſtoriam, a generatione iterum initium capientes, cumque Cl. Auctore annotantes, omnia animalia haud prius ad generationem apta fieri, quam partes generationi dicatae facultatem hanc adquiſiuerint, ſignaque pubertatis exhibuerint. Primarium, quod fere in omnibus et homine et animalibus obſeruatur ſignum, eſt vox mutata, quae eo tempore, quo animalia ad generandum apta fiunt, et in maribus et feminis mutationem patitur. Praeter hoc ſingulis animalibus propria etiam ſunt ſigna, ſic v. g. canis mas ad generationem nunc aptus pedem attollit, inque cane femina papillae intumeſcunt. In animalibus cornutis cornua creſcere incipiunt, atque pubertatis tempore citius incrementum capiunt, aliaque alia iterum ſigna exhibent. Certa etiam eis aetas eſt, ubi generare deſinunt. Ita de homine dicunt, eum ad ſeptuageſimum uſque annum ad generationem aptum eſſe, feminam vero circa quadrageſimum quintum annum iam ſterilem fieri. Elephantum circa vigeſimum annum pubeſcere, diuque ad generationem aptum eſſe, aliaque animalia, ut canes, tam diu apta manere, donec viuant, aliis autem multo breuius tempus conceſſum eſſe referunt. Quod vitae terminum concernit, ſingulis etiam definitus eſſe ſolet terminus. Sic homo raro ultra centum annos, elephantus uſque ad centeſimum et quadrageſimum annum viuere dicitur. Alia, ut inſecta breuius tempus in terrarum orbe conſumunt, vixque alterum annum attingunt.

p. 153. Hyeme exeunte ob aerem forte clementiorem plurima animalia coire ſolent, atque complura tempore tantum verno, nec ullo alio coeunt. Multa tamen et hoc non obſeruant, ſed omni fere tempore,

ut

ut homines, coeunt, aliaque iterum, ut inſecta, tempore autumni hoc opus perficiunt, ſuaque ouula deponunt. Modus coeundi varius eſt, ſic animalia quadrupeda et aues a tergo feminam inſcendunt, alia v. g. echinus et hyſtrix, ut homines, veneream rem tractant, aliisque alius modus eſt. Ratione foecunditatis animalia etiam variant; ita homo, cetus, elephantus, equus cet. unum ut plurimum gerunt foetum, alia autem in primis parua animalia, ut feles, et canes, plures foetus edere, aliaque multo minora, ut inſecta, numeroſam prolem progignere ſolent. Alia ſunt viuipara, hocque tantum maioribus et quadrupedibus animalibus conceſſum eſt, alia autem ſunt ouipara, idque auibus et inſectis proprium eſt; interdum vero et exceptio valet, e. g. lacerta ad illud genus pertinet, quod quiparum et viuiparum ſimul eſt: ouula enim habet, haec autem in utero fouens, viuos tandem foetus excludit. Quod conceptionem concernit, haec itidem variat. Sic columbinum et ouillum genus ter et quater coitum repetunt, priusquam concipiunt, alia animalia, ut ſues et canes, unico coitu hoc perficiunt. Amor animalium feruidiſſimus omnium affectus eſt. Mares nimirum ante coitum atque feminae poſt partum quaſi ferociunt. Sic equus periculoſe undique calcitrat, ſeque ipſos dentibus aggrediuntur. Geſtationis tem- p. 159.
pus etiam diuerſum eſt: Sic canes ſexaginta dies, ſues quinque, camelus vero undecim menſes, aliaque animalia plus minusue tempus foetum in utero gerunt. Quod foetus nunc formationem in utero con- p. 160.
cernit, Cl. Auctor ſtatuit, hanc in viuiparis uno eodemque modo perfici, cumque hominis formatione conuenire, hanc autem ſecundum rationem formationis foetus in ouo fieri, de qua proinde ſuccinctam nobis ſecundum optimos obſeruatores exhibet relationem. Modus pariendi itidem variat; Sic equa fa- p. 163.
cillime pedibusque inſiſtens parit, atque alia, dum

 iacent,

iacent, partum edunt. Eodem etiam modo alia pedibus insistentia, alia iacendo ubera praebent, atque omnium animalium feminae pullos suos defendunt, nutriunt et amant, potior autem sexus eos relinquit, nec ullum amoris signum erga eosdem dare, imo interdum eos etiam occidere solet.

p. 165. Quodlibet animal talem victum quaerit, qui cum materia, ex qua constat, congruit, quiue ad partes, ex quibus masticationis et digestionis organa constant, quadrat. Camelus v. g. plantis locorum arenosorum contentus est, bouilloque contra generi opima relinquit prata. Alia, ut leo et canes, carnibus vescuntur, aliaque, ut complures aues, grana de-

p. 167. glutiunt. Domicilium vel ad necessitatem, victum adquirendi, sese adcommodat, vel animal hunc illumue locum inhabitat, quo pullos secure procreare, securumque ipsum ibi esse possit. Ita non nulla in aqua, quaedam tantum in terra domicilia habent, ibidemque vitam transigunt, alia autem, ut sic dicta amphibia, in terra et aqua simul viuunt, inque terra

p. 168. habitant, in aqua autem victum quaerunt. Et color animalium diuersus est, hicque in primis a sanguinis qualitate dependet, mutationemque patitur, prout regio annique tempus variat.

p. 169. Cuilibet animali propria etiam vox est, ita tamen, ut cuncta, quae organis ad edendam vocem destituuntur, muta, ut pisces, inueniantur.

p. 170. Dormiunt animalia, multaque, ut equus, bos, canis cet. somniare adeo videntur.

p. 171. Mouent se, animalia atque aliter quidem, quam homo. Ita multa quatuor pedibus incedunt, ut quadrupeda, alia, ut aues, volant, alia v. g. insecta repunt, alia, ut pisces natant, atque ratione motus multum hic inter se variare solent, prout organa nimirum ad suscipiendum motum apta se habeant.

p. 179. Quod actiones animalium concernit, Noster animalibus cogitationes non derogat, sed dicit, passeres

v. g.

v. g. alius vocis accentum edere, ſi grana tritici, neque ita, ſi hordei inuenerint. Atque ad naturalem inſtinctum quod attinet, cuilibet animali ſuas eſſe actiones, dicit, ita, ut e. g. urſa, ſi quis hanc perſequitur, pullos ore tenens ſecuritatem fuga quaerat, aut, ſi cedere nequeat, arborem confeſtim ſcandat. Praeterea et ideae rerum corporalium brutis adſcribuntur, ita, ut quid gratum quidue ingratum ſit, haec ſciant. e. g. canis baculum, quocum verberatus fuit, timet, atque priſtinus hominis irati geſtus ei terrorem incutit. p. 183.

Tandem et ipſae animalium partes inſigniter variant, v. g. non nulla capite rotundo, ut feles, aliaque in longum porrecto, ut ſues, gaudent. Alia eſt ſtructura oculi quadrupedibus, quam auibus, hisque alia iterum, quam piſcibus eſt, atque prout partes variant, ita etiam ad varias animalium actiones argumentari licet. p. 189.

Progredimur ad ipſam quadrupedum hiſtoriam, breuius nos expedientes, cum multa, quae iam dicta ſunt, huc transferri poſſint. Secundum ordinem, quem Cl. Auctor de diuerſitate animalium quadrupedum viuiparorum exhibet, omnia haec in ungulata et digitata unguiculata diuiduntur. Prior claſſis ungulata continens, in quinque iterum diuiditur ordines, quorum primus ſolidipeda ſiſtit. Equinum e. g. genus huc pertinens, pedibus quatuor, ungula rotunda, nec ſulcata ſuccinctis, iuba longa, cornibus nullis, auribus erectis paruis, cauda capillata deſcribitur. Alter ordo biſulca tradit. Horum pedes ungulis biſulcis terminantur. Omnia haec ſunt cornuta, excepto ſuum genere. Omnia cornuta ruminant, nec vice autem verſa. Omne animal ruminans ſtomacho multipliciter diuiſo gaudet atque dentibus inciſiuis ſuperioribus caret, leporum genere excepto. Vbera inter pedes locantur. In maxilla inferiori ſex vel octo dentes molares reperiuntur. p. 204. p. 227. p. 252.

Calcitrant ut ungulata non ſulcata. Exemplo bouillum genus eſſe poteſt.

p. 368. Tertium ordinem triſulca conſtituunt, rhinocerosque unicus huius ordinis eſt: nudus hic, magnitudine bouem ſuperans, breue cornu coniforme in naſo gerit.

p. 372. Quartus ordo unicum tetrachelon hippopotamum ſcilicet ſiſtit. Animal hoc binis dentibus craſſis, prominentibus, in maxilla ſuperiori inciſiuis, in inferiori vero nullis; corpore nudo cancellato; figura ſuis; atque magnitudine bouis iuuenci ſeſe exhibet.

p. 374. Tandem elephantus, animalium terreſtrium maximum, pentachelon, proboſcide longa, cartilaginoſa; uberibus binis inter pedes anteriores locatis; cute nuda, non piloſa; dentibusque caninis longis, prominentibus unice quintum ordinem conſtituit.

p. 382. Poſterior Claſſis digitata unguiculata continet, atque in ſex iterum ordines diuiditur. De animalibus hiſce in genere notandum eſt, cuncta planta pedis nuda incedere, pedumque anteriorum digitos unguibus donatos eſſe. Omnia animalia digitata piloſa, quorſum etiam, ob immixtos pilos aculeata, loricata cet. referuntur, ſunt viuipara, omnia autem, quae

p. 383. non hirſuta, ouipara eſſe ſolent. Quod ordines concernit, horum primus monodactyla exhibet; huc e. g. ſpectat unicum animal tamandua ſiue coatus americana alba. Huius animalis pedum anteriorum pars extrema uno digito craſſo, lato, curuo et acuminato terminatur, cumque urſis formicariis iſthoc fere conuenit, capite tamen rotundiore et breuiore, auribus minoribus, oculis paulo maioribus, maxillaque inferiore prolongata, lingua pariter longa et gracili ad capiendas formicas apta, humeris amplioribus, pedibus poſterioribus pentadactylis, pilis albis quaſi lanuginoſis, atque cauda ſubſcriſpa deſcribitur.

p. 384. Secundi ordinis didactyla ſunt, hucque camelorum e. g. genus pertinet. Ruminans hoc non cornutum,

nutum, labra ſulcata, pedes in duos digitos diuiſos, caput paruum, collum longum, pedes nodoſos, gibbumque piloſum in dorſo et pectore habet.

Tertium ordinem tridactyla conſtituunt. e. g. Ignauorum genus, Ai, ob lentum greſſum atque ob ſegnitiem in quibuscunque actionibus conſpicuam ita nominatum eo refertur. Foliis viuit arboresque ei domicilio ſunt. Pedes anteriores poſterioribus multo longiores, ſingulumque tribus digitis praeditum, nullisque auribus inſtructum. p. 391.

Quartus ordo tetradactyla exhibet, haecque ſunt vel loricata vel piloſa. Ad loricata v. g. pertinet tamandua cataphracta. Huic animali, nullos dentes habenti, ob alimentum, quod formicae praebent, atque ob linguam cum urſis formicariis conuenientem nomen iſthoc imponitur. Reperitur in regno Siam inque inſula formoſa. Capite longo, ore tenui, oculis valde pellucidis, auribusque planis et paruis incedit, atque ita ſe contrahere valet, ut figura eius diſtingui plane nequeat. Lorica ſquamoſa ob omni impetu hoſtili illud defendit. Piloſis vero tetradactylis in primis familia cauiarum annumeratur, quarum aliae, ut cuniculus americanus ſ. mus indicus, pilis tantum, alia ſetis, inſtructae ſunt, ut cuniculus echinatus e freto Hudſoniano. p. 395. p. 401.

Quintus ordo pentadactyla continet. Huc v. g. ſpectat leporinum genus, cuius pedes anteriores quinque poſteriores quatuor digitos habent. Aures graciles longae ſunt. Medium labii ſuperioris diuiditur. Oculi absque palpebris, cauda breuis, planta pedis piloſa, dentes maxillae ſuperioris inciſiui duplices, inferiorisque valde parui ſunt. p. 406.

Sextus denique ordo animalia pedibus pinnatis, horum ſcilicet digitis pellicula, ut in auibus aquaticis, coniunctis exhibet. Exemplo caſtor eſt; animal hocce paruum nec ponderoſum, pilis longis et paruis, capite et oculis itidem paruis, auribusque, ut in p. 564.

lutra, paruis, rotundis, externe piloſis, interne nudis eſſe ſolet. In utraque eius maxilla bini dentes coloris fere crocei, fortes inciſiui inueniuntur, quorum pars ſuperior valde acuta atque, ut in muribus, ſerrata eſt. De reliquo ſedecim dentibus molaribus gaudet, ac in unoquoque pede quinque digitos habet, quorum poſteriores pellicula tantum coniunguntur. Anteriores enim ad arripiendum alimentum ei dati ſunt, hique rotundi, obtuſi, poſteriores vero caui eſſe ſolent. Cauda eius in ſuperiori parte glabra non piloſa, nigra craſſa, ſquamoſa, oualis ac valde pinguedinoſa eſt.

Finita hac animalium quadrupedum hiſtoria, librorum tandem a Cl. Auctore citatorum catalogus, ſimulque iconum ab eodem affixarum explicatio ſubnectitur; quarum quidem magnitudo cum pretio libri accommodanda eſſet, tanta non eſt, quae partes praecipuas diſtincte ſiſtere, et veras ideas excitare poſſit.

III.

Tentamen medicum de variis calculorum biliarium ſpeciebus diuerſoque ab ipſis pendentium morborum genere. Auctore IOANNE PETRO SABATIER et Praeſide FRANCISCO IMBERT. Monſpelii apud Ioannem Martel. 1758. 8. pl. 13. dimidiat.

Diſſertatio haec in octo capita diuiſa, in primo non nulla circa biliares calculos exhibet obſeruata et experimenta; ſecundo frequentem biliarium calculorum in humano corpore procreationem enarrat; tertio de characteriſticis felleorum calculorum attributis, quarto de quibusdam accidentalibus eorundem qualitatibus agit; quinto diſtinctionem inter vere biliares et inteſtinales calculos conſtituit; ſexto felleorum

leorum calculorum in variis cauitatibus ductibusque ſitus ac diſpoſitionis diuerſitatem ſiſtit; ſeptimo illorum petrificationis opus exponit, et octauo denique breuem morborum a calculis felleis oriundorum hiſtoriam tradit. Quod ad obſeruationes primo capite contentas attinet, non paucos calculos biliares, hosque in primis diuerſae magnitudinis in duodeno non ſolum, verum in ductu etiam cyſtico et veſicula felea a ſe repertos fuiſſe, Cl. Auctor refert, quid? quod p. 7. lapidis meminit tanti, qui feminae cuidam, paſſione iliaca ob hanc cauſam affectae, poſthac ſanatae, per anum exiit, et figuram craſſitiemue oui gallinacei aequauit: De complurium poſt modum calculorum egreſſione p. 13. per anum mentionem facit, ultimaque tandem obſeruatione in aperto quodam cadauere veſiculam felleam, tertia parte grandiorem et longiorem, inque ea octoginta quinque calculos ſeſe reperiiſſe perhibet.

Cum calculis biliaribus experimenta Cl. Auctor p. 14. inſtituit, iſtosque in puluerem redactos, cum bile exſiccata, itidem in puluerem redacta, plenarie conueniſſe, pondere leues, cumque urinariis calculis comparatos, his multo leuiores fuiſſe, atque eorum plurimos aquae innataſſe, peneque omnes candelae admotos ignem concepiſſe, obſeruauit.

Ad biliarium calculorum in humano corpore ge- p. 16. nerationem Noſter accedens, complurium medicorum, qui in cadaueribus eiusmodi calculos repererunt, facit mentionem, atque ex crebris horum obſeruationibus colligit, frequentem omnino dari lapidum iſtorum generationem. Prae reliquis in hoc capite notatu digna legitur, a Cl. Auctore adducta obſeruatio * Ill. HALLERI, qua Gottingenſes raro cal- p. 23. culis urinariis, frequenter vero biliaribus eſſe obnoxios adnotauit, inde calculos hos habito reſpectu climatum populariter graſſari poſſe, et quod alii iam obſerua-

* Opuſc. pathol. Lauſan. 1755. 8. Obſ. 33. pag. 70. et Comment. noſtr. Vol. V. Part. I. p. 89.

obſeruarunt, in accolis nimirum fluuiorum ſaepiſſime reperiri eosdem, Noſter adſerit. Diſtinguunt ſe iſti calculi ab aliis, in corpore humano reperiundis, materie, ex qua conflati ſunt, bilioſa, porro ponderis leuitate, tandemque ignem concipiendi facultate, hosque characteres nulli, niſi calculo biliari proprios eſſe, experimenta confirmant.

p. 28. Variant quodam modo lapides biliares reſpectu coloris, ſuperficiei, craſſitiei et figurae. Ita enim non nulli luteoli, ſubuirides alii, aliique rurſus atri deprehenduntur. Plurium horum lapidum laeuigata, aliorum inaequalis aliorumque aſpera eſt ſuperficies. Nec etiam omnes unam eandemque habent craſſitiem. Ita plurimi granorum milii et lenticularum magnitudine excernuntur, alii autem maiores fabam, oleam maiorem, imo et interdum ouulum gallinaceum aequantes cum faecibus exeunt. Triplex tandem, dictitante Noſtro, lapidum memoratorum figura eſſe ſolet: multi nimirum facie multiplici ſeſe oſtendunt, hique, ut Cl. Auctor obſeruauit, nunquam ſolitarii exiſtunt, ſed inter ſe inuicem conglomerati eſſe videntur. Alii facie hac deſtituti praelongi aut ouati, raro globoſi obſeruantur, hique ut plurimum craſſo aut mediocri volumine praediti, ſemper ſolitarii deprehenduntur. Tandem et calculi biliares viſi fuerunt, qui ſolitarii, nec multiplici unquam facie donati, ut canales perforati in conſpectum prodierunt.

p. 33. At vero cum et calculi reperiantur, quorum ortus in inteſtinis eſſe ſolet, quiue primo intuitu, ſiue in inteſtinis demortuorum inueniantur, ſiue a viuis excernantur, cum calculis felleis confundi facile poſſint, notandum id circo eſt, inteſtinales calculos, in aquam proiectos, huic non innatare, neque flammam concipere, nec etiam in puluerem redactos bilj cyſticae ſimiles eſſe, nullumque praeterea deguſtatos amaritiei ſenſum excitare, atque morbos tandem a calculis

calculis biliaribus ortos, alia aliaque a calculis inteſtinalibus inductos morbos concomitari ſymptomata.

Veſicula fellea, ductus cyſticus ac choledochus p. 38.
inteſtinorumque cauum loca ſunt, in quibus calculi iſti remorantur, horum autem conditio inde pendentium morborum ſiſtit diuerſitatem. Calculi e. g. longiores et ouati ſi tranſuerſim in cyſtide ponuntur, aegris plerumque mortem conciliant, atque eorum alii in inteſtina delapſi, ſi eum locum, ubi valuula illa coli eſt, occludunt, talia producunt ſymptomata, quibus haud raro confundi poſſunt medentes, atque paucis, prout ſuperficies calculorum eorundemque moles variat, ita etiam ſymptomata nec non morborum plerumque ſe habent exitus.

Quod ipſum calculorum generationis opus con- p. 42.
cernit, Cl. Auctor ſtatuit, generari lapides in veſicula fellea, bilemque quidem ſpiſſam ac tenacem generationis huius cauſam ſuppeditare, ex hac ipſa autem ſola haud unquam procreari calculos. Largitur nimirum, ut Noſter putat, bilis ſpiſſae ac tenacis particula fundamentum, cui ſenſim ſenſimque ab aduenien-te bile accreſcunt lamellae, quae ſi quotidie apponuntur, inſignis demum magnitudinis calculum ſiſtunt. Itaque bilem tenacem calculorum quidem nucleum, minime vero totius calculi compagem conſtituere, ex Noſtri ſententia ſtatuendum eſt.

Finita hac felleorum lapidum theoria, morbo- p. 49.
rum etiam inde oriundorum fit mentio, horumque tres conſtituuntur claſſes. Prima ſcilicet morbos a calculis in veſicula fellea habitantibus continet; altera morbos a calculis in veſiculae collo, ductu cyſtico et choledocho haerentibus exhibet; atque tandem tertia morbos a biliaribus calculis in inteſtina delapſis breuiter recenſet. Primae claſſis morbos quadruplices eſſe, iterum nempe, bilioſum veſiculae felleae hydropem, illius inflammationem, eiusdemque tandem membranarum rupturam a calculis in veſiculae

cauo

cauo exiſtentibus produci, Cl. Auctor oſtendit. Ictérus oritur, ſi calculi viam ad ductum cyſticum obturant, unde igitur bilis primo accumulatur, tandemque ad venam cauam refluens in exteriori corporis habitu diſpergitur. Cauſa hac diſquiſita, ſymptomata ictericis ſolemnia recenſentur, ſigna diagnoſtica exponuntur, atque huius mali curatio ſubnectitur; quam calculorum expulſio, urgentium ſymptomatum mitigatio, praecauendaque eorum generatio abſoluit.

p. 67. Sub veſiculae felleae hydrope bilioſo Cl. Auctor intelligit inflatam et a congeſta exſuperanteque bile praeter modum tumentem veſiculam, cuius mali ortum in calculis cauum veſiculae occludentibus ponit. Accedit et hoc, quod via ex veſicula ad duodenum penitus praecluſa, bilis interim maiori, ac in naturali ſtatu fieri ſolet, copia ſecreta per bibula vaſorum oſcula reſorberi ſufficienter nequeat, unde bilis continuo affluens, nec tamen ſatis reſorpta, ita coaceruatur, ut veſicula in immenſam ſaepe magnitudinem excreſcat, multaque ac ſingularia hinc ſymptomata producantur, quae eo maiorem attentionem merentur, quo magis veſicula haec extenditur, atque eiusdem membranae attenuantur. Ne igitur in curando hocce malo errores poſtea vix corrigendi committantur, Noſter ideo certum atque pathognomicon conſtituit ſignum, nimirum hypochondrii dextri tumorem, qui digitis prementibus facile obediat intropulſus et mobilis. Huius dein hydropis prognoſin Cl. Auctor exhibens, illum hydropem, qui veſiculae dilaceratione aut huius vicinarumque partium inflammatione finitur, periculoſum, qui vero, calculis in inteſtina delatis et excretis, diarrhoea bilioſa terminatur, non adeo periculoſum eſſe, curationemque adhuc admittere exponit, ad quam proinde obtinendam remedia et auxilia non contemnenda commendat.

Cum

Cum antecedenti veſiculae felleae morbo ſaepe ſimul eiusdem veſiculae inflammatio, quae a Cl. Auctore *cyſtitis* nuncupatur coniuncta eſt, interdum autem et absque illa ſola haec deprehenditur, utrumque tamen malum ab aſperis anguloſisque calculis veſiculam irritantibus ortum ducit, inque arteriarum cyſticarum ac venae portarum ramificationum, veſiculam hanc perreptantium, extremis ſedem habet. Inter ſigna, quae huic inflammationi cum aliis communia ſunt, prae reliquis icterus tumorue hypochondrii dextri, calculos tactu manifeſtans et cum febre acuta coniunctus, inflammationis huius diagnoſin praebet, cuius euentus, ut in aliis inflammatoriis morbis, obſeruatur. Vel enim reſoluitur, vel in ſuppurationem abit, vel tandem gangraena ſphaceloque finitur, raro autem ſcirrhoſa fit inflammata veſicula, frequentius contra ſuppurationem mire hic variantem, atque ea propter multa, nec non mirifica ſymptomata nouosque ſaepe morbos producentem ſubit. Prout autem locus eſt, in quem pus euacuatur, ita etiam ſuppurationis deprehenditur exitus, illaque vel in ſanitatem, vel in alium morbum, vel denique mortem abſolute aduenientem tendit. Praeter conſuetam, inflammatorios morbos curandi, methodum, venaeſectionem nempe, diaetam tenuem, diluentem, refrigerantem, potum largum remediaque lenientia, hic in primis clyſmata emollientia atque neceſſaria illa externe applicanda fomenta relaxantia, leniſſimaque tandem, inflammatione mitigata, commendantur cathartica; quibus cunctis, fruſtra tentatis, morbo nimirum in ſuppurationem abiente, huius ideo ſubnectitur curatio, aut artificioſa demum, ad exteriora ſi vergit tumor, ſuadetur puris extractio. p. 74.

Vltimus ipſius veſiculae ab intus contentis calculis obortus morbus eſt eius ruptura. Cum autem ſecundum Noſtri ſententiam nulla huius mali haberi poſſit diagnoſis, iſtud tantum nominaſſe ei ſufficit, p. 87.

atque

atque ad alteram horum morborum claſſem, morbos nimirum a calculis in veſiculae collo, ductu cyſtico et choledocho haerentibus ortos tranſit.

p. 89. Praeter icterum, hydropem cyſtidis billoſum ac inflammationem, a calculis etiam in ductibus nominatis oriundam iamque pertractatam, ſolius duntaxat colicae hepaticae mentionem facit Cl. Auctor, quam duplicem eſſe, ſpuriam nempe, hancque mitiorem a calculis in cyſtide productam, nec non alteram atrociorem hancque veram a calculis in cyſtico vel choledocho ductu haerentibus oriri perhibet. Praeter ſymptomata multis aliis ſolemnia, bene autem hic collata, regionis veſiculae felleae dolor acutus, fixus, profundus, certis interuallis exacerbatus, ictero flauo ſaepiusque nigro ſtipatus certam huius colicae largitur diagnoſin. Peſſima ſemper colica iſta ominatur; plurimi namque ea vexati iugulantur, aut ſi mortem effugiunt, aliis tamen inde oriundis morbis v. g. hydropi aſciti cet. obnoxii ſunt, et tandem pereunt. Ad curandam hanc colicam praeter venaeſectionem, enemata internaque remedia lenientia, oleoſa et opiata, hic in primis externa, fomenta nimirum, linimenta ac balnea emollientia applicari, aperientia autem et actiua illa remedia omitti prorſus iubet.

p. 99. Tertia tandem ultimaque claſſis, morbos a calculis in inteſtina delatis ortos continens, breuiter commemorat, a calculis in inteſtina deductis vagos dolores colicos, inflammationes, choleram, dyſenterias pertinaces, haemorrhagias per anum, paſſionem iliacam, teneſmum faecumque remoram produci, ſolisque catharticis mitioribus enematibusque frequenter iniectis calculorum horum expulſionem tentandam eſſe praecipit.

IV.

IV.

GVILIELMI HENRICI KRAMERI Phil. et Medic. Doct. Elenchus Vegetabilium, et Animalium, per Auſtriam inferiorem obſeruatorum, ſiſtens ea in Claſſes, et Ordines, Genera et Species redacta. Viennae, Pragae et Tergeſti. 1756. 1 alph. 3 pl. tab. aen. unica.

Quae fuit induſtria plurium celeberrimorum virorum, qua plantas, aliasque res naturales per patriam, vel regiones, quas aut peragrarunt, aut inhabitarunt, obuias, et diſperſas, annotarent, atque ſedulo deſcriberent, quaeque eſſent priuati, publici iuris facerent, eam iam imitatus Cl. Auctor, Auſtriam inferiorem, in qua degit, *Leytaepontanae paruulae* Praef.
urbis, uti fatetur, *nec neceſſaria ad rerum naturalium ſcrutatricem vitam prolongandam ſubminiſtrantis phyſicus* perſcrutatus eſt, Floramque ac Faunam illius regionis pari munere illuſtrauit: *non largiter eff ſo a principibus aere, nec ſocietatis cuiusdam impenſis* ſe adiutum fuiſſe dolet quidem, ſed idcirco eidem tribuenda videtur laus et gloria maior, quod priuato zelo ductus id operis in ſe ſuſcipere voluerit. Illuſtri Nomini VAN SWIETEN dicatum opuſculum in parte prima ad methodum LINNAEI exponit genera plantarum quingenta quatuor, ſpeciebus, quas ibi vidit, ſummo ſtudio definitis; non vero indigenas ſolum plantas, ſed eas etiam, quae in hortis magnatum aſſeruantur, exoticas ſub ſe comprehendit; videas enim ibi recenſitas Cannam Indicam, Iuſtitiam, Ipomoeam, Aloen cet. Pars altera ſeptuaginta octo continet genera p. 308.
animalium ſecundum idem ſyſtema diſpoſita, nec haec ſemper Auſtriae inquilina, ſed ſimias, leones cet. complectitur, quinimo Rhinocerotem anno 1750. p. 317.
Viennae a Batauo allatum habet. De Aegagropilis p. 320.
obſeruationem adiecit oppido raram: *genuinas ſiqui-*

dem eſſe figurae oblongae, intus fibroſas, fuſco uiridis coloris; externe pellicula nigra, inſtar vernicis ſplendente tectas; has in rupicapris, Alpes Athamanta ſiue Meo Officin. carentes inhabitantibus, nunquam inueniri, quae tamen in aliis, hac radice fibris obſita paſcentibus, ſaepe reperirentur: unde et harum pilarum originem, atque effectum emmenagogum declarat; *cum nec cruſta lapidea illis ſuperinducta ſit, verum ex meris fibris radicis Athamanthae (quod praeter dicta ſapor, ac odor proderet) mediante muco oeſophagi, et ventriculi rupicaprarum in formam furciminis, non pilae, ſicut adulterata, compactis conſtarent; non ad calculos animalium, ſeu regnum minerale referri, ſed Florae reſtitui debere* autumat.

p. 381. Animalium duo conſtituit noua genera, quorum primum ex auium claſſe, et ordine paſſerum, *pratincolae* nomine inſignitum, adiecta icone illuſtrauit, eiusque characterem genericum ſic definit: *Roſtrum ad latera parum compreſſum, maxilla ſuperiore apice adunco; femora ſeminuda, pedes tetradactyli, poſtico anticis duplo minore, cauda bifurca. Alae longiſſimae, compli-*
p. 396. *catae, caudam fere eminentes.* Alterum ex ordine piſcium malacopterygiorum, quod cum cauernas ſubterraneas luce carentes potiſſimum inhabitet, *Vmbram* vocauit, eiusque characterem genericum adiecit: *Membrana branchioſtega oſſiculorum ſex. Dentes in maxillis, palato. Oculus in utroque latere unus, pinnae vertebrales duae, dorſi unica oſſiculis ſuffulta, in medio fere dorſi ſita, nec a capite ad caudam extenſa.* Optandum omnino eſt, ut filius, qui patris laborioſiſſimi veſtigia premit, melioribus ſubſidiis in colenda hiſtoria naturali ſuſtineatur.

V.

V.

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, P. P. O. Lipſienſ. Inſtitutiones hiſtorico phyſicae Regni vegetabilis, praelectionibus Academicis accommodatae. Editio altera aucta et emendata. Lipſiae apud I. F. Gleditſch. 1757. 8. plag. 18.

Quos anno 1738 prima vice euulgauit Cl. LVDWIG aphoriſmos botanicos, breues ad modum atque concinnos, mutatos, multumque auctiores, titulo Inſtitutionum an. 1742. edidit, nunc denuo typis mandauit. In qua editione ordinem tractationis, diu probatum, haud mutatum quidem retinuit, multa vero correxit, alia expunxit, alia, in primis, quae his diebus inuenta fuerunt, addidit, definitiones praeſertim partium plantae accuratiores concinnauit, ſimulque optimos fontes, citatis ſtudioſe Auctorum ſcriptis, hinc inde annotauit. Vt vero luculentius pateat, hanc auctam et emendatam eſſe editionem, quaedam ſigillatim annotemus. Contra fundamentum diuiſionis trium regnorum, a LINNAEO aſſumptum, bene monuit, vitam et incrementum plantarum in uno eodemque motu fluidorum per ſolida conſiſtere, et ſenſus, qui corporibus, quatenus ab obiectis externis mouentur, conceditur, ſimili ratione per definitas fluidi, in vaſis moti, mutationes declarari poſſe. Et licet, ut alii ſtatuerunt, fabrica ſimilaris in congregatione particularum mineralibus propria ſit, telaque cellularis motum ſuccorum in vegetabilibus, ac fabrica vaſculoſa eundem in animalibus dirigat perficiatque; mineralia porro igne, vegetabilia aere per ignem animato, animalia proprio ſpiritu moueantur, tamen cum hae differentiae cognitae partim difficillimae, partim in limitibus, conſtituendis vagae deprehendantur, antea propoſitum, p. 4.

fundamentum, in forma externa mutabili vel perſiſtente, ac loco motiua facultate poſitum, denuo aſ-
p. 6. ſumſit Noſter atque retinuit. Retinuit quoque conſuetum naturae regnorum numerum, et nec aqueo WALLERII, nec igneo DENSONIS illum augendum eſſe, exiſtimauit; obiecta enim huc relata vel ad congreſſum elementorum in mixtione perficienda, vel ad minerale regnum, vel ad arte facta optime reduci poſſunt, immo debent.

p. 20. Differentiam radicum mutata paulo ratione propoſuit; aſſumſit quidem et nunc radices dari caudice vel tenuiores vel craſſiores, ultimis autem generale nomen tuberoſarum dedit, harumque ſpecies, cauleſcentes et nodoſas, quae tuberoſis ſtrictiſſimo in ſenſu conueniunt, fibras in omni ſuperficie adnatas oſtendere, illas vero vel ex parte caudici oppoſita, ut in tranſuerſis et bulboſis*, vel ad caput radicis carnoſae ex nodo, inter caudicem et radicis craſſio-
p. 22. rem partem formato, eius modi protrudere, aſſumſit, hasque ſpeciali nomine comoſas, et a figura craſſioris partis teſticulatas, palmatas, et ſquamoſas ad-
p. 25. pellauit. Folia in primaria et acceſſoria diuidit, priora folii nomen retinent, poſteriora, quae vel petiolos ſuccingunt, vel colore viridi non conſpicua ſunt, bracteae, ſtipulaeque dicuntur. Nerui et venae no-
p. 26. men, minus accurate hactenus determinatum, ita forte determinari poſſe, docuit, ut coſtae folii eminens diuiſio neruus, pellucens vero vena nominetur.

Foliis

* Bulboſas radices Cl. Auctor denuo, ut antea fecit, in ſquamoſam, tunicatam et ſolidam diſtinguit, et Lilium, Tulipam, Crocumque exempli loco adducit. Verum dubitamus, an radix detur bulboſa ſolida; Crocus omnino eam tunicatam habet, id, quod non modo ex ſiccis externisque laminis, quae ſponte ſeparantur, eluceſcit, ſed et media, ſolida viſa ſubſtantia, in veras tunicas, craſſas modo, poteſt ſeparari.

Foliis articulatis, ubi unum ex altero producitur, p. 28.
diſtinctionis nota praeſente, pyxidata addidit, in
quibus folium in foueam alterius quaſi immittitur; ſic
et ab oppoſitis diſtycha ſeparauit, quae oppoſitis ſem-
per lateribus caudicis vel ramorum accreſcunt. Den- p. 31.
tata, crenata, ſerrata, ciliata, et ſpinoſa ſeorſim con-
ſiderauit, curatiusque definiuit. Pilos quoque et p. 36.
glandulas, quae tubercula humore exſudante conſpi-
cua dicuntur, nunc adduxit; ſpicae ſubdiuiſiones
tradidit, dum illam ſeminum, umbellae ſimilem, fa-
ſciculum, globoſam autem, florum capitulum adpel-
lauit; Calicis ſpecies ſigillatim etiam expoſuit; ſpatha p. 41.
itaque eſt calix, vaginam longitudinaliter fiſſam refe-
rens; gluma autem calix rigidior graminum, amen-
tum ſeries ſquamarum, filamento centrali adhaeren-
tium; calyptram in muſcis, in fungis voluam pro
calicis ſynonymo aſſumſit. Florem, qui ſtamina p. 51.
modo continet, a variis, minus recte, ſterilem no-
minari monuit, cum ille potius ſterilis dicendus ſit,
qui corollam ſolam, nec ſtaminibus, nec piſtillis re-
fertam, ſiſtit et eunuchus eſt. In capſulis praeter
valuas, ſeptum quoque et ſuturam deſcripſit, prius
eſt paries intermedius, qui cauum capſulae, ſemina
ſuſcipiens, in caua minora ſiue loculos diſtinguit, ſu-
tura autem linea vocatur, quae fiſſurae, in maturita-
te ſuccedentis, veſtigia oſtendit. Dubios tandem
baccam inter atque drupam limites nouo forte funda-
mento determinare nos poſſe, docuit, dum drupae
nucem, pomo cartilaginea loculamenta, baccae au-
tem ſemina ſparſa tribuamus, verum et hic incertos
eſſe limites, ipſe Cl. Auctor fatetur.

In Cap. II. de diuerſis plantarum methodis agens, p. 60.
Auctorum, quos excitauit, ſcripta, in notis accurate
annotauit, fundamenta diuiſionum ſollicite, aſt ſtri-
ctim recenſuit, et catalogum Auctorum auxit. Ex
veteribus nunc etiam ZALVZIANSKIVM, ex illis,
qui partim Raianam methodum ſecuti, partim in ea

perfectius elaboranda occupati fuerunt, HEISTERVM atque HALLERVM commemorauit; BOERHAAVII methodo inhaesit MORANDVS et ERNSTINGIVS, Cl. Auctoris methodum Riuino-Linnaeanam adsumserunt WEDELIVS et BOEHMERVS. Tournefortiana usus quoque fuit VALENTINI, PLVMIERIVS, cum Riuiniana eam coniunxit KRAMERVS, auxit vero parum SEGVIERIVS. Inter illos, qui LINNAEI vestigia presserunt, in primis excitatur GRONOVIVS, DALIBARDVS atque HILLIVS, qui in fungis, muscis, plantisque submarinis plura noua genera condidit. ROYENI methodum adsumsit GMELINVS. Nouas praeterea exhibuerunt WACHENDORFIVS, GLEDITSCHIVS et de SAVVAGES. Inter particulares methodicos, qui gramina, fungos et s. p. pertractarant, MONTIVM quoque, GLEDITSCHIVM, BATTARRAM, KLEINIVM atque DONATI excitauit.

p. 72. In III. et IV. Capite, quibus de Generibus et Speciebus locutus fuit, ante stabilitas regulas fere ubique retinuit, selectiora autem exempla hinc inde annotauit; de nominibus, quae generibus, si duo in unum coguntur, imponenda sunt, aliter nunc sensit, et ne
p. 85. nimia nominum mutatio, dum semper tertium nouumque, ut Rumicis, Achilleae, eligendum sit, molesta instituatur, potioris generis primarium nomen stare et retineri posse, Lauendulae aliarumque exemplo docuit, simulque etiam monuit, ea nomina, quae graeca et latina lingua eandem ideam exprimunt, diuersis generibus minime tribuenda, sed ut synonyma consideranda esse, ut auena et bromos, lentiscus et
p. 98. schinus. Nouorum vegetabilium ortum, dum vel plantae diuersi generis, vel congeneres ad nouum corpus vegetabile constituendum concurrunt, et hybridas plantas efformant, ex obseruationibus in primis LINNAEI adsumsit; huius Cl. Viri compendiaria nomina, triuialia dicta, in designandis speciebus admit-

admittit, et in omnibus plantis euidentes dari characteres, ex quibus nomina ſpecifica compendiaria poſſint deſumi, aſſeruit, ac exemplis comprobauit. Ita e. gr. dici poſſet Mollugo foliis oppoſitis, tetraphylla, pentaphylla, verticillata.

Cap. V. de methodo plantarum propria inſcribi- p. 101.
tur, inque eodem floris monopetali compoſiti characterem accuratius determinauit, dum non ſolum communi calici, ſed et thalamo communi plures floſculos adhaerere poſſe monuit; corollas horum floſculorum, lingulatorum et tubuloſorum ſpeciatim definiuit, thalami varias proprietates commemorauit, et regularitatis characteres non tantum ex corolla, ſed etiam piſtilli ſtaminumque declinato ſitu cognoſcendos eſſe, Amaryllidis exemplo declarauit. In tabulis, quas ut ſpecimen ſuae methodi denuo adiecit, alios ſaepe characteres adduxit, ac in primis ad corollae proprietates prius, quam ad fructum, reſpexit. Plantas marinas ex vegetabilium numero eximendas, et ut opus polyporum conſiderandas eſſe, de non p. 134.
nullis quidem, non vero omnibus conceſſit, hinc corallia, madreporas cet. vegetabilibus adhuc adnumerauit.

In Partis ſecundae, qua Phyſicam vegetabilium p. 160.
pertractauit, Cap. I. easdem generales notiones, in Cap. II. autem varias nouas ideas inuenimus. Ita cuticulam animali et vegetabili corpori quidem conuenire, aſt pilos, glandulas, et alia, quae ſuperficiem inaequalem reddunt, ex profundiori ſede propullulare, affirmauit, ſimulque docuit, caua plantarum, ut ſunt capſulae et fructuum loculi, ſimili tenui obducta eſſe membrana, quae ad fabricam cuticulae proxime accedit, et ab externa non adeo differt, quam in animalibus. Telae cellularis uſum et dignitatem curatius expoſuit, illamque non tantum mouendis, ſed et mutandis elaborandisque ſuccis inſeruire, recte ſtatuit. Vaſcula vario modo inter ſe

coire, et anaſtomoſes efficere, in quibus contextus celluloſus, intus contentus, cum oppoſitis communicat, et ſuccorum progreſſui fauet, nunc oſtendit; ſpirales autem fiſtulas peculiarem quidem vegetationis mechaniſmum oſtendere concedit, an vero aereae dici queant, aerique tantum pateant, in dubio adhuc relinquit.

p. 174. Cap. III. de partibus vegetabilium fluidis differens, nunc in primis contendit, humum, praeter terreas, ſalinas quoque et oleoſas partes continere, quae quidem ex variis corporibus motu inteſtino et putredine reſolutae, terraeque unitae, et mediante aqua extractae, unguinoſum ſuccum praebent, qui vero in crudo ſtatu a plantis ſuſcipi non poteſt, niſi in aerem eleuetur, nouas reſolutiones et mixtiones ſubiret, et ſubtiliſatus iterum in terram praecipitaretur; hinc fertilitatem terrae ex aere repetendam eſſe, concludit. Nullam quoque ſucci, in terra praeparati, differentiam agnouit, ſed alias radices in ſabuloſo, minus cohaerente, alias in lutoſo et tenaci ſolo melius diſponi, modo tradidit.

p. 180. In Cap. IV. de motu fluidorum per ſolida inſcripto, phaenomena accuratius determinauit, et rationes dilucidius explicauit, caeterum autem easdem

p. 187. propoſitiones retinuit. Cap. V. de ortu et deſcenſu fibrillarum ipſiusque radicis ſpecialius egit, medullamque copioſiorem fibras corporis lignoſi diſtendere, et minimum tuberculum efficere, in quo parenchyma copioſiorem ſuccum ſuſcipit, et in extenſione facta filum corporis lignoſi et medullae ſecum rapit, ac in terrae rimas diducit, aſſeruit; deſcenſum autem ex ſpongioſo parenchymate, quod, copioſo humore reſorpto, extenditur et fibram mediam deorſum ducit, nec non humida terra attrahitur, et ad maio-

p. 199. rem ſucci reſorptionem diſponitur, deduxit. Librum non modo lignoſis caudicibus tribuit, ſed eandem parenchymatis mutationem in annuis caulibus fieri,

Lini

Lini et Cannabis in primis exemplo declarauit. De circulis ſic dictis annuis differens, etiam ad mutationes, a plaga coeli introductas, reſpexit, idque in directione arborum tranſplantandarum annotandum eſſe, annotauit. De foliorum ortu quodam modo ſuam ſententiam mutauit Cl. Auctor, et dum olim aſſumſerit corporis lignoſi fibras huc non accedere, nunc potius docuit, id quidem interdum verum eſſe, attamen etiam vel a libro, vel ex ipſis corporis lignoſi ſtratis fibras prodire, et ad petiolum foliumque duci. p. 206.

Praeparationem foliorum per macerationem plenius expoſuit, annotauitque laminas retis, ſi molles adhuc et humidae ſeparentur, telam celluloſam tenerrimam interpoſitam, laminasque coniungentem, oſtendere, eamque, ſi ſufficientibus ſuccis ſcateat, ſeparationem laminarum admittere, ſi vero exſucca ſit, retia coalita, nulla arte diſtinguenda efficere. p. 213.

De foliorum uſu quoque, et quomodo ſucci ad folium dirigantur, in eodem moueantur, praeparatique ſucci, vel ad plantam retrogrado motu deferantur, vel perſpirent, fuſiori doctrina uſus fuit. An autem folia ſimul perſpirent et inſpirent, et an ſuperficies ſuperior perſpiret, inferior autem inſpiret, nondum, vel per experimenta, a Cl. BONNETO facta, determinare potuit. p. 218.

Petala cum foliis apte comparauit; ungues ſcilicet petioli, et corollae monopetalae folii vaginantis ideam referunt, ſuccosque praeparatos ad interiores partes perficiendas deducunt. Nectaria nunc organa ſecretoria dixit, quae ſuccos ſpiſſiores, motum humoris ſubtilioris in vaſis plantarum impedientes, ſecernant, et ita cum glandulis conueniunt. p. 497.

Adſcenſum ſuccorum ad thalamum, qui marcidis florum partibus ſemina ſuſcipit, non modo denuo ſtabiliuit, ſed alia quoque, ad ſtylum directa vaſa, inuerſa ratione ab Auctore conſiderantur, ipſisque communicatio quaedam cum antheris tribuitur, qua fit, ut particulae, fertilitatem p. 245.

ſeminis perficientes ad thalamum deferri poſſint.
p. 249. Denſitatem laminarum cartilaginearum, quae in non nullis fructibus pulpoſis ſemina cingunt, a preſſione ſucci, in pulpoſo et celluloſo contextu moti, olim deriuauit Cl. Auctor; hanc vero ſententiam veritati non reſpondere, cum ſemina abortiua tam denſum loculum habeant, quam perfectiora, poſtea cognouit, hinc in ipſa iam delineatione, denſiores eſſe nunc affirmauit.

Verum haec ſpeciminis loco annotata ſufficiant; plura enim et omnia, quae mutata curatiusque propoſita in hac noua editione inueniuntur, ſi nunc adducere vellemus, nimis longa fieret noſtra recenſio. Publice modo Cl. Auctori grates perſoluimus, quod, aliis negotiis fere obrutus, in commodum tamen et docentium et diſcentium haſce Inſtitutiones locupletiores reddere, et denuo euulgare voluerit.

VI.

IOANNIS GEORGII ROEDERERI, D. Med. et Anat. P. P. O. Societ. Reg. Gotting. Sod. de Vteri ſcirrho commentatio medica. Gottingae. Sumtibus Victorini Boſſigelii. 1756. 4. pl. 5. tab. aen. 1.

Sicut ad alia corporis humani viſcera, ita et ad uterum variae fieri poſſunt materiae morboſae me-
p. 5. taſtaſes. Duplicem iſtae agnoſcunt originem, vel enim a morbo in uterum aliquid maligni deponitur, vel externae, vulnerando nimirum et comprimendo, aut a partu difficili peruerſaque in eodem adhibita medicatione chirurgica illatae, violentiae ei perſaepe mali moris contrahunt vitia. Quae a morbis in illum fiunt depoſitiones, interdum inflammationem excitant, interdum autem lente tantum et absque inflammatione colliguntur. Externis contra laeſionibus

nibus ſemper ſubnaſcitur inflammatio, quam pari modo, ac illas a morbo factas depoſitiones, haud raro ſequitur ſcirrhus. Frequenter tamen iſte inflammationem non reſolutam nec ulceroſam excipit, pariterque fluoris albi, menſtruorum lochiorumue ſtagnationes.

Inflammationem excipiens ſcirrhus cognoſcitur, p. 9.
ſi ſymptomata inflammationis absque ſanitatis vigore corporisque refectione ceſſant, et ponderis in ſimul ſenſus in pubis regione animaduertitur. Fluxus menſtruus imminutus aut plane ceſſans, corpus extenuatum, appetitus interdum languens, interdum nimius, febris lenta, os foetens et ulceroſum, atque regionis pubis et hypogaſtricae in primis expanſio, grauiditatem mentiens, dura, reſiſtens, dolens, ne manus quidem tactum interdum ferens, ſigna ſunt, quibus ſcirrhus, a materia morbi eo delata ortus, et vel partem uteri vel totum illum occupans, cognoſcitur. Praeter haec pondus in peluim deſcendens, rara et moleſta lotii et foecum excretio, uteri duri tumentisque deſcenſus, vel et eiusdem prolapſus, rectique inteſtini aut veſicae compreſſiones, uteri ſcirrhoſi diagnoſin confirmant ulterius.

Sterilis manet, quae hoc laborat femina, in mi- p. 14.
tiori autem malo, ſcirrho nimirum, uteri duntaxat partem occupante, interdum concipit, dolenda tamen, ſi ad partum componitur. Vel enim ſcirrho, ceruicem uteri claudente, partus fieri nequit, vel idem ille efficit, ut partus tempore uterus rumpatur, fetusque in abdomen dilabatur. Si tandem ſcirrhus uteri extenſionem impedit, hic abortus etiam cauſa interdum eſſe poteſt.

Ne autem medici ab inflato abdomine, grauidi- p. 17.
tatem mentiente, decipiantur, ſigna ideo a Cl. Auctore notantur, lentumque in primis a ſcirrho abdominis incrementum, nec non morboſorum, eo increſcente, ſymptomatum augmentum; abſentem

porro

porro mammarum eleuationem, lactisque defectum, nec non deficientem quoque embryonis motum, ab abdomine cito ob grauiditatem intumeſcente, cumque ſanitatis integritate coniuncto, ſatis diſtingui oſtendit.

p. 21. Nunquam ipſius naturae beneficio cedit ſcirrhus, idemque, ſi remediis minus aptis in carcinoma mutatur, ſponte in duriſſimam maſſam abit, omneque pariter reſpuit artis auxilium. Iſte vero, qui omni uteri ſenſu nondum plane caret, aliquam adhuc admittit curationem, ad quam ideo ſuſcipiendam martialia et mercurialia, interpoſitis euacuantibus, com-

p. 23. mendantur. Hactenus dicta binis obſeruationibus a Cl. Auctore illuſtrantur, quarum prior ſcirrhum uteri in diſſecto corpore concernit. In femina nimirum, viginti annos nata, venereo olim morbo laborante, phthiſicaque inde facta et tandem febre lenta mortua, praeter emaciatum corporis ſtatum, inteſtinorum in primis flexuras cohaerentes, inque anguſtum glomum collectas, et cum vicinis viſceribus coalitas; totum dein peritonaeum, quod abdominis cauum non ſolum amplectitur, verum etiam quod in abdominis viſcera producitur, ſcirrhoſis undiquaque corpuſculis obſitum obſeruauit. Glandulae praeterea meſenterii obſtructae, atque pulmones, ubiuis cum pleura concreti, hepar autem, lien et renes in naturali fere ſtatu reperti fuerunt. In diſquirendis partibus genitalibus, omnem fere peluis capacitatem, copioſis corporibus induratis occupatam, duram dein in fundo uteri ſubſtantiam, et ad eius orificium tumorem, interiorem vero illius ſuperficiem inaequalem, aſperam, peculiari ſubſtantia, cum ouis congelatis comparanda, tectam, annotauit. Tubae Fallopianae diſtinctae et conſpicuae non apparuerunt, pariterque ſiniſtri lateris ouarium diſcerni non potuit, dextrum vero, ſtatu naturali fere praeditum, medio in glomere, ex celluloſa quadam, craſſa, cum ſanguiferis vaſis, muſcularibus fibris et adipoſis globulis confuſa

maſſa

maſſa compoſito ſitum obtinuit. Omnium horum p. 30.
viſcerum morboſum ſtatum ex colluuie venerea depoſita ſpiſſataque ortum, atque natam dein ſine ulcere phthiſin ſolis concretionibus ſcirrhoſis originem debuiſſe, Noſter coniicit.

Obſeruatio poſterior uterini ſcirrhi ſanati tradit p. 31.
hiſtoriam. Deſcripto igitur feminae, hoc laborantis, ſtatu, remedia chalybeata cum ingenti ſoluentium herbarum, beccabungae v. g. chaerefolii cet. copia cumque lactis ſero adhibita fuiſſe annotatur. Cum autem horum uſu continuato aegritudines iſtius feminae non ceſſarint, potius adauctae fuerint, mutato ea propter medicationis conſilio ad mercurialia confugiſſe medicum, legimus. Quo circa mercurio dulci, hunc in finem dato, et per aliquod tempus continuato, uterus non ſolum optimo cum ſucceſſu, egrediente ſcilicet e genitalibus lympha albicante, effuſoque poſthac ſanguine copioſo iterumque minuto, reſeratus fuit, verum etiam ſymptomata cuncta ceſſarunt, integraque demum huic feminae reſtituta fuit ſanitas.

VII.

Obſeruationum medicarum de partu laborioſo decades duae; prima et ſecunda. Auctore IOANNE GEORGIO ROEDERER, D. Med. et Anat. P. P. O. Gottingae, 1756. 4. Sumtibus Boſſiegelianis, pl. 11½.

Obſeruationes hae, quarum Cl. Auctor ſuam in arte obſtetricia peritiam plus quam ſimplici vice comprobauit, laborioſum ex brachio in primis et capite prolapſis iam tradunt partum, harumue prima partum ſiſtit difficilem ex prolapſu capitis cum extrema manu. Ad parientem feminam nimirum No- p. 1.
ſter accerſitus fetus faciem, ad ilia matris dextra verſam,

ſam, illiusque manum ſiniſtram, ſimili auri applicatam, ulteriori lapſui obſtantem obſeruans, faciem tenelli verſus os ſacrum conuertit, manumque ſiniſtram extraxit, quo facto partum tunc naturalem accelerauit, leuiſſimamque partus huius difficilis ſpeciem eſſe, hancque ſaepe ſolis naturae viribus abſolui annotauit.

p. 3. Secunda obſeruatione brachii prolapſi hiſtoriam exhibente Cl. Auctor oſtendit, qualem foetus partes obtineant hic poſitum, quaue tunc via manus obſtetricantis ſit ducenda. Morem igitur conſuetum, manum nempe ad corpuſculi ductum ducendi damnans ſuadet, eam trans medium corpuſculum promouere, quo pedes dein trahi, in abdomen flecti, eoque aptius ergaſtula aperiri poſſint.

p. 6. Obſeruatio tertia caſum continet, ubi manus, pes et facies prolapſi fuerunt. Partium igitur mortui ſub ipſo partu foetus male locatarum, pariterque hinc ſuſcipiendae foetus conuerſionis deſcriptione facta, nullam hic brachii prolapſi curam ſe habuiſſe Noſter refert, brachiique in uterum refuſionem ſuperfluum obſtetricum morem eſſe notat.

p. 8. Obſeruatione quarta partus ex prolapſo brachio ad modum laborioſus deſcribitur. Fruſtra illa neceſſaria foetus conuerſione tentata, ſignisque mortui eiusdem iam praeſentibus, ſectio foetus in utero ſuſcepta fuit, qua multo quidem, aſt felici, labore peracta, matris vita ſeruata fuit. Ad ſuſcipiendam hanc ſectionem non niſi neceſſitate urgente, verſione nimirum incaſſum tentata, aut utero ob continuatam dolorum atque ſpaſmorum vim rigente iamque indurato, confugiendum eſſe, Cl. Auctor praecipit, ſimulque operationem hanc iis, qui remediis mitioribus neglectis omni feſtinatione ad eam properant, optimo iure vitio vertit. Contra vero eos, qui deſperatis omnibus aliis remediis ad hoc auxilium compelluntur, monet, ſummam huic operationi cautionem lentam-

lentamque moderationem adhibendam eſſe, hancque ultimam in primis non nocuiſſe, ſed potius profuiſſe expertus loquitur. At feſtinationem tamen non in uniuerſum reiiciens, ſigna ea propter ſubnectit, quibus ad properandam ſectionem certi fiant operatores.

Quinta obſeruatio brachii cum funе prolapſi partusque conduplicato corpore facti meminit. Brachii huius refuſionem fruſtraneo labore ſaepe tentans obſtetrix, id tandem cum alia femina ſeruiente attrahere conſtituit, quo facto femina mortuum quidem puerum enixa, at laborioſo tamen partu liberata, ſalua euaſit. Notabile hic fuit, quod foetus conduplicato corpore, dorſoque primo nato editus fuerit. Cum autem femina haec tribus vicibus talem partum unaque fetum, pedibus praeuiis, viuum ediderit, Noſter ideo, ampliſſimam huic peluim eſſe, indeque infantes facili opera in pedes conuertendos ſeruari potuiſſe colligit. p. 18.

Obſeruatio ſexta partum quidem facilem continet, matrem vero, ſtatim a partu ob ſanguinis fluxum nimium, obiiſſe refert. Mortuam hanc feminam Cl. Auctor ſecans, placentam violenter ab utero ſolutam, internamque uteri ſuperficiem laceratam, indeque ſanguinis fontes apertos reperit. Vtrum vero obſtetricis nimia feſtinatione, an infantis lapſu praecipiti placenta abrupta fuerit, diiudicare non audet, hoc tamen notans, obſtetrices nimis officioſas in attrahenda placenta ſe praebere. Quo circa multis obſeruationibus, ſuo tempore communicandis, Noſter confirmatus, ſpontaneam placentae ſolutionem expectari, ſolutamque trahi dein, iubet. p. 20.

Obſeruatione ſeptima lentus propter foetus mortem deſcribitur partus. Ex conſuetae illius, qua foetuum corpora obducuntur, vernicis albae ſeu caſeoſae defectu, foetum hunc per aliquod tempus ante partum mortuum iam fuiſſe Noſter colligit, inque p. 25.

que nota ob hanc rem adiecta quaerit, *anne vernicis caseosae defectus foetum ante partum mortuum a foetu, quem partus suffocauit, distinguat?* Ipsum autem foetus corpusculum mollius factum et maceratum lenti huius partus causam fuisse, asserit.

p. 28. Obseruatio octaua difficilem ob peluim angustam et uterum obliquum partum sistit. Periit sub ipso partu foetus ante viuus, pariterque mater inflammatione uteri statim a partu correpta, febreque malae indolis afflicta, paucis post partum diebus diem obiit supremum. In cadauere aperto, praeter malum reliquorum viscerum habitum, summas peluis angustias, uterum oblique situm ulcusque inueteratum ad istius ceruicem reperit Cl. Auctor, atque mortis embryonis causam, capitis in inferiorem peluis aperturam defixi compressionem, fuisse, et uteri inflammationem secutamque gangraenam ab uteri ceruice inter caput et peluim diu pressa deducendam esse, ulcus autem inueteratum inflammationis et gangraenae ortum faciliorem reddidisse, declarat.

p. 38. Obseruatione nona partus describitur, ubi cum latis humeris et abdomine caput prolapsum fuit. Cum lati foetus humeri, ut post partum obseruauit Cl. Auctor, partui moram interposuerint, Noster ideo arte succurrit, cunctaque ita disposuit, ut perfectum demum femina ediderit partum. Rariorem hunc partum esse, eumque semper serotinum fieri, asserit.

p. 42. Obseruatio decima eius modi partus mentionem facit, qui ob obliquum infantis situm ad peiorem speciem refertur. Posterior nimirum capitis pars ex obliquo utero prolapsa fuit, ita, ut capite ad os sacrum directo nucha cum occipite primo in conspectum venerit. Partu igitur difficili ob hanc causam facto, dolorumque subsidio frustra expectato, versio tentata fuit, qua magno cum labore sudoreue perfecta, amissa quidem foetus vita, at optime tamen

post

poſt partum calente matre partus abſolutus demum fuit.

Obſeruatio undecima lenti tradit partus hiſtoriam. Cauſam huius lentoris capitis amplitudo, rigidus pudendorum ſinus et in primis uteri orificium, collum embryonis ſtringens, ſuppeditauit. Inſigni cum difficultate obſtetricantisque defatigatione operationem hanc factam, matremque ſeruatam fuiſſe, infanti vero vitam uteri ſtricturam ademiſſe legimus. p. 47.

Obſeruatio duodecima partus deſcriptionem exhibet, ubi vecte opus fuit. Cum nimirum aliis remediis tentatis partus promoueri non potuerit, de vecte admouendo cogitare Noſter coactus fuit. Eo igitur admoto partum dein abſoluit, matrique vitam una cum prole ſeruauit. Cum facies foetus praeuia hic fuerit, atque puer ingrato aſpectu ſeſe praebuerit, Cl. Auctor ideo notat, tali ſtatu fieri, ut foetus varie vitietur, aethiopis formam aliaque acquirat; profluens autem meconium, quo etiam hic foetus conſpurcatus fuit, infantis quidem preſſi, mortui autem ſignum non praebere refert. Vectem in tali negotio Noſter laudat, cui autem tanquam uniuerſali inſtrumento in prolapſo capite non fidit, atque inde monet, interdum verſionis artificium praeferendum, alio tempore forcipe utendum, imo et alio iterum tempore ad perforatorium confugiendum eſſe p. 49.

Obſeruatio decima tertia caſum ſiſtit, ubi facie prolapſa, forcipeque adhibita viuus, matre inſimul ſuperſtite, extractus fuit foetus. Inſtrumentum hoc temporibus foetus ſupra aures applicatur, eiusque preſſio cum integritate prolis fieri poteſt. Ad mitius inſtrumentorum genus id refert Cl. Auctor, anceps tamen eſſe, foetuique, ſi ſtrictiſſima preſſio diutiusque protracta requiritur, vim inferre notat. p. 53.

Obſeruatio decima quarta partus meminit, ubi foetus in ipſo partu ob funem, collum bis ſtringen- p. 56.

tem, mortuus, forcipe adhibita, excuſſus vitaque matris ſeruata fuit. Ad funis, collum cingentis, ſigna refertur lentus capitis progreſſus, foetus retractio, ſanguinisque ex genitalibus iunctum ſtillicidium. Inter reliqua autem foetus mortui ſigna, peculiaris etiam laxi mollisque capitis oſſiculorum ſtridor, nec non tumor capitis, incrementi expers, annotatur. Tandem et hic caſus, placentam ob funem, foetus artui circumpoſitum, ab eo attractam ſponte ſaepius ſecedere poſſe docet.

p. 60. Obſeruatione decima quinta iterum forcipis uſus mentio facta eſt. Cum nimirum, uti poſt partum vidit Cl. Auctor, funis bis collo et ſemel brachio ſiniſtro arcte circumpoſitus, capitisque moles magna, ſitus iniquus, ſinus anguſtiſſimus genitaliumque rigor partum ad modum difficilem reddiderint, atque foetus vita ſub ipſo partu, ob adductas cauſas, priuatus fuerit, forcipem ideo Noſter applicuit, qua ultra octo vices applicata foetus tandem ſolutus, ſalua matris vita, fuit. Perforatorio quidem hic opus fuiſſet, ſed ob crudelem huius viſum, adſtantes terrentem, atque ob ipſius operatoris euitandas contumelias, quibus ii hunc, ſi uſurpato perforatorio mortuus extrahitur foetus, haud raro afficere ſolent, inſtrumentum hoc non applicitum fuit. Optimo cum ſucceſſu ante partum foeminae huic venam ſecauit Cl. Auctor, atque opiata, peregrinos noxiosue in partu ſpaſmos abdominales ac uterinos compeſcentia, adeoque uterum roborantia, nec non parturientem reficientia exhibuit, horumque inde uſum ſedulo in eius modi caſu commendat.

p. 69. Obſeruatio decima ſexta partum commemorat, ubi perforatorio opus fuit. Ad parturientem nempe vocatus Cl. Auctor, partusque regionem ſtatim explorans, funem propendentem, amplum atque obliquum, ad dextra ſcilicet dimotum oſſibusque pubis infixum, caput obſeruauit. De mortuo igitur

foetu

foetu illico Noſter cogitans, aliis prius remediis mitioribus, ſed fruſtra tentatis, ad perforatorium confugere coactus fuit, hocque in delapſi occipitis hiatum, fontanellam poſteriorem alias dictam, artis lege deiiciens, factum dein foramen illud et digitis etiam dilatauit, membranas lacerauit, ipſisque digitis partem cerebri excuſſit. Quo facto capitis deſcenſum promouit, hocque in vaginam delapſum forcipe arripuit, atque huius ope in ſinum detractum ſolis tandem manibus extraxit, ſuperſtitemque matrem partu hoc feliciter liberauit. Cum ante ſuſceptam operationem enema parturienti iniectum fuerit, rectumque inteſtinum hoc retinuerit, Noſter ideo, enema ab inteſtino parturientis retentum, inter alia uteri obliqui ſigna refert, ſimulque illud in naturali partu a preſſo inteſtino recto non admitti notat.

Obſeruatio decima ſeptima partus meminit, ubi p. 74.
foetus mortuus forcipe extractus fuit. Notabile hic eſt, quod plures obſtetrices, ad parturientem accedentes, miſeram hanc ruditer vexarint, foetusque capitis cutem lacerarint, cranii oſſicula diffregerint, viam effluxuro cerebro parauerint, ita, ut accerſitus dein Noſter pudendorum ſinum cum tota vagina in inſignem durumque tumorem eleuatum, craniique oſſicula nuda, ſoluta paſſim vaginamque acuminibus laedentia, repererit. Gangraenam igitur uteri metuens, ei ſtatim promtiſſimo auxilio ſuccurrit atque ſeruauit.

Obſeruatio decima octaua gemellorum partum p. 77
deſcribit, quorum alter modo naturali prodiit, alter autem, cuius caput pelui infixum laborioſum reddidit partum, operatoris auxilio extractus eſt. Antequam Cl. Auctor acceſſit, chirurgus quidam uncino caput expellere tentauit, nihil vero praeter bina bregmatis oſſa ſoluit, matre interim inſtrumento hoc laeſa. Noſter poſthac aduenies, perforatoriique neceſſitatem cognoſcens, hoc ſtatim applicuit, eo

caput extenuauit, foetumque dein extraxit. Mater, uteri gangraena correpta, paulo poſt periit. Signa igitur gangraenae Noſter exhibens, de hiſce bene addiſcendis tirones monet, hosque matris in primis quiete, integram valetudinem mentiente, perſaepe falli, oſtendit.

p. 80. Obſeruatio decima nona partus ob faciem, alterutrum os iſchii reſpicientem, humerorumque alterum oſſibus pubis inhaerentem, laborioſi meminit. Cum miſeram feminam imperita obſtetrix male tractauerit, atque chirurgus poſthaec accerſitus illam uncino laeſerit, Noſter ideo de miſeris illis atque violenter illatis parturientium afflictionibus iuſtas querelas inſtituere commotus eſt. Dicit nimirum, admonitiones illas ad niſus edendos, operoſas et moleſtas, praeter neceſſitatem, obſtetricum manus, violentas ſecundinarum ereptiones, porro crudelem uncini applicationem, ſpiritusque vini et aliorum abuſum imprudentem tot matres immolare, quae aliter tractatae ſeruari omnino potuiſſent.

p. 85. Vltima tandem obſeruatio feminam ex gangraena uteri, a partu gemellorum violento, mortuam commemorat. Accerſitus Noſter ob mortem iam inſtantem ab operatione abſtinens, monet hic, manus non admouendas eſſe, ſi inter operandum mors metuatur, operationes tamen ipſi famae anteponere mauult. Atque cum ingenuus huius viri candor atque dexteritas ubique ex his obſeruationibus, quorum continuationem auide expectamus, eluceſcant, ipſiſſimis verbis, humanitatem eius praedicantibus, noſtram recenſionem finire malumus. *Praeſtat*, ait, *utique ſexcentas operationes, ut unica mater ſeruetur, facere, quam ſoli ſuae famae conſulendo, dubias operas reiicere. Ancipiti tamen triſtique prognoſi utique famam ſuam munire in ancipiti caſu operatori licet.*

VIII.

VIII.

IOANNIS PETRI NORDMANN, Moeno-Francofurtenſis, Diſſert. inaug. med. de iſchuria grauidarum. Argent. 1758. 4. pl. 4½.

De grauiſſimo grauidarum ſymptomate, iſchuria, acturus Cl. Auctor, atque cauſſas huius mali explicaturus, primo non nulla de veſicae urinariae fabrica, de formatione et geſtatione foetus, de uteri habitu et ſtructura ex principiis anatomicis et phyſiologicis praeſtruit, quae cum ſatis nota ſint, lubenter praetermittimus. Velox embryonis in utero incrementum in ſcholio ad paragraphum nonum obſeruatione quadam Cl. FRIEDII comprobare annititur, qui ex utero feminae cuiusdam, quae ante tres hebdomadas abortierat, graui haemorrhagia accedente, neque tamen prohibitum rei venereae exercitium intermiſerat, eadem vero iterum uteri haemorrhagia laborantis, maſſam quandam carnoſam extraxerit, multis vaſculis adhaerentibus, ceu ſuae cum utero cohaeſionis veſtigiis, praeditam, quae diſſecta ouulum oſtenderit, quod intus nebuloſum quoddam corpus, in quo omnes foetus partes, praeſertim oculi, tanquam duo puncta nigricantia, et hepar per abdomen pellucidum diſcerni potuerint, in ſe continuiſſet. Vbi vero propius ad iſchuriam grauidarum conſiderandam accedit, praeter conſuetam illius cauſſam, compreſſionem nempe ab utero turgido, tanquam minus conſuetas ex Cll. FRIEDII et KVLMI obſeruationibus, prolapſum uteri verum, atque herniam veſicae urinariae adducit. Poſtquam de diagnoſi et prognoſi huius mali varia diſſeruit, ad auxilia tandem peruenit, optimumque, praeter decubitum ſupinum reclinatumue, in catheteris applicatione, uſque ad partum imminentem frequentius continuanda ponit, varias cautelas circa hoc negotium obſeruandas

p. 7.

p. 9.

p. 19.

p. 22.

p. 26.

uandas addit, atque omnia fere remedia interna, in primis diuretica, utpote, quae cauſſam morbi non
p. 27. tollant, non ſine ratione reiicit. In iſchuria a prolapſu uteri praeter catheteris uſum ante omnia de utero reponendo cogitandum eſſe arbitratur; atque in
p. 30. iſchuria, ab hernia veſicae urinariae orta, neceſſarium eſſe putat, ut primo tentetur, an tumor digitis ſenſim paullatimque reprimi queat; ſin minus, opus eſſe, ut vel cathetere per vices grauidae ſuccurratur, vel ſi incarcerata ſit hernia, ſectio inſtituatur, atque in his etiam circumſtantiis catheteris applicatio non
p. 31. negligatur. Sub finem diſſertationis, de illis iſchuriae ſpeciebus, quae grauiditatis termino ad finem properante, et partu quodam praeternaturali imminente, aliquando foemellas afficere ſolent, pauca proponit.

IX.

Diſſert. inaug. med. de viribus vitri antimonii cerati ad rationes ſuas reuocatis; Praeſide D. ANDREA ELIA BÜCHNERO, Reſp. Auctore *Io. Frid. Arnoldo Müller*. Hal. 1757. 4. pl. 4.

Cum Cl. huius diſſertationis Auctor animaduertiſſet, neminem huc uſque ita in vitrum antimonii ceratum inquiſiuiſſe, ut appareat, quid potiſſimum ſit, cui tantas in illo remedio vires adſcribere debeamus, laudabili conſilio apud ſe conſtituit, genuinas huius remedii vires ex ſingularum, quibus conſtat, partium natura ac indole eruere. Vt vero nihil eorum omiſiſſe videatur, quae ad remedii huius explorationem pertinent, primo hiſtoriam illius enar-
p. 8. rat, atque ex Ephemeridibus naturae curioſorum* docet, quod et ad dyſenteriam et alios quosdam morbos

* Integra hiſtoria legitur in Ephem. Acad. Nat. Cur. Dec. III. Ann. III. Obſ. 51. p. 58.

bos curandas, ſuperiori iamiam ſaeculo ipſum antimonii vitrum fuerit uſurpatum. Deinde methodum illud parandi docet, neque varias enchireſes in illius praeparatione utiles negligit. Quo autem ſententiam ſuam eo luculentius commonſtrare queat, omnem nimirum vim agendique potentiam antimoniale hoc remedium a vitreſcibili ſua parte, acido inflammabilique vegetabili cerae quodam modo temperata ac inuoluta, accipere, ante omnia docet, quid ſit antimonii vitrum, illudque partem mere regulinam, terream vitreſcibilem, omni ſulphurea acidaque portione penitus liberatam eſſe contendit, eamque arſenicali quodam principio impraegnatam eſſe variis argumentis comprobat, ex diuerſis vitreſcibilis huius antimonialis portionis erga acida mineralia relationibus concludit, vitreſcibili non ſolum cum arſenicali inquinamento commixto deberi, quod draſtica violentaque quadam vi polleant non nulla remedia ex antimonio parata, ſed illam quoque, ſi omnis ſubſtantia inflammabilis ex antimonio ablata fuerit, ab acido vitriolico et nitroſo figi, eiuſque vim infringi ac temperari poſſe. His demonſtratis ad ceram progreditur, atque ab hac, veluti ex inflammabili acidoque principio, quod ad nitroſum proxime accedat, plurimum participante, talem correctionem ac virium draſticarum mitigationem fieri poſſe arbitratur. Generales autem huius remedii virtutes a leni ſtimulo ac ſolidorum vellicatione deriuari poſſe autumat Noſter; quod cum in primis potiſſimum viis contingat, lenem emeticam ac purgantem vim in eo praecipuas eſſe aſſerit, diaphoreticam tamen, et rarius diureticam ipſi non plane poſſe denegari. Speciales vero, quas in dyſenteria, diarrhoea, colica, variis uterinis euacuationibus mitigandis, maniacis ac epilepticis, ac denique varii generis febribus poſſidere compertum eſt, ex non nullorum recentiorum Anglorum ſcriptis recenſet, atque exemplum viri cuiusdam in me-

p. 11.

p. 14.

p. 20.

p. 22.

p. 26.

p. 30. dia aetate conſtituti, et catarrho ſuffocatiuo affecti, ex medici cuiusdam ſibi noti obſeruatione commemorat, in quo quinque huius remedii grana hunc affectum lethalem non tantum ſuſtulerunt, ſed et quater repetita nouas illius acceſſiones praeuerterunt, omnibus aliis medicamentis fruſtra adhibitis. Eandem utilitatem et in peſte ſpondet Noſter, cum iam a ſolius vitri antimonii, nulla cera correcti, uſu laudabiles effectus viderint non nulli medici: e. g. FREYTAGIVS et KERNERVS. Sub finem methodum hanc medicinam adhibendi, variasque cautelas circa uſum illius obſeruandas docet.

X.

DOMINICI VANDELII, Phil. ac Medici, Diſſertationes tres. De Aponi thermis: de non nullis inſectis terreſtribus, et Zoophytis marinis; et de vermium terrae reproductione, atque taenia canis. Patauii 1758, ex typographia Io. Baptiſtae Conzatti. 8. pl. 12. et tabb. aen. 5.

Tres, diuerſae tamen materiae, diſſertationes in hoc continentur libello. Harum *prima* inſcribitur: *Obſeruationes variae de Aponi, montis Orthoni, montis Grotti et S. Petri thermis*; et in quinque diuiditur capita. *Primum* agit *de Aponi loco. Aponi* thermae proſiliunt in agro Aponitano, qui quinque fere paſſuum milliaria Patauio diſtat. Ex ſummitate collis tophacea cum impetu erumpunt, et una cum fumoſis vaporibus per viciniam odorem ſpargunt ſulphureum. Has aquas Cl. Auctor *feruentes* nominat, reſpectu ſcaturiginis vicinae, quae tepidam tantum emittit aquam. Gradum caloris horum fontium emenſus quidem eſt thermometro, ſed arbitrario in 80 gradus

p. 1.

gradus diuiſo, quare hos cum aliarum thermarum gradibus comparare non poſſumus. Aſcendit autem mercurius in *feruentibus* ad 53 gradus, quum in *tepida* aqua ad 26 gradus tantum peruenit. In cauſam caloris thermarum inquirere non audet, quum *explicatis hypotheſibus egeat*, obiter tamen monet, non a fermentatione contrariorum ſalium et mineralium, ſed ab ignibus ſubterraneis calefieri. Quum multa huc et illuc hiant foramina, per quae una cum aqua calidiſſimi vapores exhalant, exſtructum eſt laconicum, ſeu balneum vaporis, in quod aegri, lue venerea praeſertim adfecti, intrant, in quo vero ultra 10, ad ſummum 16 temporis minuta non commorari poſſunt ob vehementem calorem. Occaſione horum vaporum de conſtruendo laconico ſicco, ut illud ſuper Baias, cogitauit, quod nobis non impoſſibile viſum fuit. Quando autem putat, ibi etiam exſtrui p. 11.
poſſe hibernacula, pro aſſeruandis plantis exoticis, ubi melius feruarentur, quam in hypocauſtis artefactis, merito de eo dubitamus, quia, niſi nos omnia fallunt, vapores calidi, quum ſimul ſint humidi, plantas citius perire facerent. Caput *ſecundum* de p. 12.
contentis aquarum feruentium Aponi diſſerit. In ea eſt opinione Cl. Auctor, aquas medicatas in ſua origine mineralibus carere, ſolumque illis imbui, dum per fodinarum ſtrata tranſeunt, ibique forſan etiam calorem accipere. Praecipuae partes, quas thermae noſtrae continent, ſunt *argilloſae* et *tophaceae*, has prope ſcaturigines deponunt. Quae autem de *herbaceo viridi* profert *ſedamine*, quod ex herbarum arborumque particulis, in itinere ſub terra abraſis, conſtare affirmat, intelligere plane, ut verum fateamur, non valemus. Rei enim natura nos cogit indolem *herbaceam* et colorem viridem ſub terra deſtructum nobis concipere. Aut fallimur, aut Cl. Auctor confundit herbaceum hoc ſedimen, cum virideſcente illa materia, quae tophos omnium thermarum, quas quidem

nos nouimus, tegit, et ad conferuarum et tremellarum ſpecies, de quibus capite ſequenti agit, pertinet.

p. 15. Tophorum duas ſpecies deſcribit, *ſpumoſum* et *vermiculatum*, quem ultimum etiam depingi curauit. Hos ex particulis *tartareis*, quae aliis ſcriptoribus *calcareae* audiunt, et *lapideis* concreſcere, et ope caloris in tophum commutari autumat. Nos potius defectu caloris tophum formari credimus. Ope enim caloris, ſi recte quidem iudicamus, particulae tophaceae ſoluuntur, et ſolutae in terrae cryptis tenentur. Simul ac autem hae aquae prorumpunt, et aeri liber acceſſus conceditur, calor aquarum neceſſario decreſcit, et particulae terreae ſe praecipitant atque coeunt, ſeu formatur tophus. Alterum harum aqua-

p. 18. rum contentum, ſecundum Cl. Auctorem, eſt materia *calcarea lapidea*, quae, uti nobis quidem videtur, eum praecedenti conuenit. Obducit haec paucis diebus omnia his aquis impoſita, e. g. ſtamina, ligna, arborum folia, ouorum teſtas cruſta tophacea, ſeu lapidea, qua in re hae thermae multum ſimilitudinis cum thermis Carolinis, in Bohemia ſcatentibus, habent. Deponunt noſtrae thermae Aponitanae

p. 23. etiam puriſſimum ſulphur, quod, uti Cl. Auctor ait, *a nullis unquam fide dignis, qui de his aquis ſcripſerunt, inuentum eſt.* Hoc eo magis mirum nobis viſum fuit, quo certius Cl. Auctor affirmat, ſe *plus quam libram unam ſulphuris in duorum pedum ſpatio* reperiſſe, quod canalium lateribus, ad inſtar florum, eodem, ſine dubio, modo, ac in thermis Aquisgranenſibus, adhaeſit. Praeter ſulphur in eodem canali inuenit Cl. Auctor quoque ferrum puriſſimum, quod a magnete in experimentis ſtatim adtrahitur. Ad hoc detexit in terra ſubuiridi, quam aquae in canali deponunt, partes metallicas, quas cum borace veneto et nitro fudit, et puriſſimum pariter ferrum inde accepit.

p. 26. Mentionem quoque facit ſalis, quem aquae ſuper ſaxis reponunt. Hic ſal hoc peculiare habet, quod

tantum

tantum mane, antequam ſol oriatur, colligi poſſit, poſt meridiem autem a ſolis calore ſoluatur, et nihil aliud ſupra ſaxa remaneat, niſi albiſſima terra. Nobis in mentem venit, an non hic ſal, quod naturam et ſpeciem eius attinet, ſimillimus ſit ſali mirabili GLAVBERI, qui tam diu, quoad ſatis humiditatis habet, formam cryſtallorum retinet, ſed diſſipato, a ſolis vel aeris calore, humido, in terram albiſſimam dilabitur, quae tamen ſalis naturam ideo non perdit, ſed addito ſufficienti humido, lege artis in priores cryſtallos denuo conuertitur. Hoc nobis eo magis probabile videtur, quo ſales thermarum plus ad naturam ſalis mirabilis vergunt. Refert nunc Cl. Auctor quantitates et proportiones materiae illius reſiduae terreo-ſalinae, quam ex *Aponi* aquis, tam *feruidis*, quam *tepidis*, ex aquis *montis Orthoni*, et denique ex aquis *virginis* eiusdem montis, quos non ſolum ſole lente, ſed etiam igne citius exhalare fecit, acquiſiuit. Sale poſthaec a terra arte ſeparato, concludit, hanc ad terras calcareas et gypſeas pertinere, illum autem verum ſalem neutrum eſſe, qui, propter coniunctum ſulphur et nitrum, quod ultimum tamen in prioribus non probauit, non multum diſtaret a natura *ſalis polychreſti*. Si autem noſtram ſententiam adiicere debemus, perſuaſi ſumus, hunc ſalem ſimiliter ac priorem, ad naturam ſalium thermarum, quibus cum, ut modo monuimus, ſal mirabilis perfecte conuenit, accedere: id quod ex experientia tertia, mutatione ſcilicet ſolutionis mercurii viui, et ex experientia ſexta, materiae nempe luteae, ex ſolutione argenti viui, ope aquae fortis facta, praecipitatae, ſuſpicamur. Interim a vero parum vel nihil aberrat Cl. Auctor, quando, ad ſpeciem ſalis non attendendo, in fine capitis ſecundi in genere dicit: *aquae thermales Aponitanae continent ſalem, ſulphur, ferrum, aliquid gypſi et terram calcaream.* Caput *tertium* memorat *herbas, quae in aquis calidis et feruentibus* p. 31. p. 35.

tibus viuunt. Quem ad modum lacus, ſtagna, riui, fluuii, et maria ſuas habent plantas, quae in iis creſcunt, florent et vigent: ſic thermae peculiares et ſpecificas habent, quae in calidis tantum aquis virent. Conferuarum generi eas adnumerauit, celeberrimum ſecutus LINNAEVM, qui conferuas ſub cryptogamiis Claſſe XXIV comprehendit. Obſeruauit autem quinque conferuarum ſpecies. Prima eſt, *Conferua Aponitana folio triquetro, fere algae marinae ſimili:* altera, *Conferua ramoſa Aponitana in fibra longiſſima capillari veſiculis donata:* tertia, *Conferua ramoſa alba St. Petri:* quarta, *Conferua capillacea ſimplex montis Grotti:* et quinta, *Conferua capillacea ramoſa montis Grotti ab herbacea membrana oriens.* Has omnes ſatis nitidis exprimit iconibus. Reperit quoque in cauitatibus ſaxorum, per quas aqua feruens excurrit, *Tremellae* ſpeciem. Hanc cum ea, quam Cl. SPRINGSFELD in thermis Carolinis obſeruauit, et in *Commentariis Berolinenſibus* * deſcripſit, comparat; diuerſam tamen ab illa, quum hanc ipſi vidimus, eſſe iudicamus. Adiicit tandem Cl. Auctor quasdam plantas ſponte circa thermas Aponitanas naſcentes, quas vero, quum non nouae ſint,
p. 49. praetermittimus. Caput *quartum animalia* refert *aquarum thermalium.* Sunt autem haec parua *buccina,* paruae *cantharides,* et quaedam *ſquillarum* ſpecies,
p. 61. quae omnia depingi curauit. Caput *quintum* pauca habet de *admirabili Aponi et montis Orthoni thermarum virtute.* Adhibentur eae externe et interne. Interne ſumtae aluum blande ſaepe ducunt, aquae vero montis *Orthoni* urinam praeſertim copioſe mouent, et perſpirationem augent. Gaudent in primis eximia virtute reſoluendi et aperiendi, quare craſſos et viſcidos humores hiſce attenuatos; flatus hypochondria-

* *Hiſtoire de l' Academie Royale des Sçiences, année* 1752. *à Berlin,* p. 104. et Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 688.

chondriacos et hyſtericos hiſce mitigatos atque correctos; viſcerum obſtructiones et infarctus hiſce ſolutos recenſet Cl. Auctor. Laudat praeter ea harum thermarum facultatem tonum roborandi, et ſolida laxata firmandi. Balnea externe uſurpata medentur praeſertim morbis cutaneis et tumoribus oedematoſis frigidis. Lutum thermarum ſimul adhibitum curat dolores arthriticos, et morborum reſolutiones. Memoratu autem dignum eſt hydrocephalon infantis hiſce balneis ſanatum. In fine huius diſſertationis prima adhuc addit Cl. Auctor D. IOSEPH. BERTOSSIVM de *Aponi* thermis proxime eſſe plura ſcripturum.

Sequitur nunc diſſertatio *ſecunda* de quibusdam p. 67.
inſectis, balano et zoophytis marinis, quae ſex diuerſis capitibus abſoluitur. Horum *primum* probat, quod *ſcorpionum filioli non ſemper a matre occidantur*, ſicut multi eruditi, et nuper Ill. MAVPERTVIS perhibuere, ſed ſub terra a matris voracitate ſe defendunt. *Secundum* caput, quod de *ſubtiliſſimis equorum* p. 71.
vermibus inſcribitur, docet, in equis extra inteſtina in abdominis cauitate, praeſertim prope hepar, reperiri vermiculos albos, ſubtiliſſimos et teretes, qui abdomen libere perreptant. Equorum laniones fidem fecerunt Cl. Auctori in omnibus equis eius modi vermiculos, minori aut maiori tantum quantitate, inueniri, quod Cl. Auctor eo magis miratur, quia neque Cll. RHEDIVS, neque CAROLVS RVINVS, qui de induſtria de equorum morbis ſcripſit, horum vermiculorum mentionem fecerunt: licet Cl. BERNARDINVS GALLEGARIVS in falconibus, et Cl. WELSCHIVS in alaudis iſtius ſpeciei vermiculos obſeruauerint. Vt igitur eo facilius in poſterum ab obſeruatoribus cognoſcerentur, eorum iconem adiecit. Sequentia capita de marinis, et caput in primis *ter-* p. 77.
tium de *balanis Venetiarum*, *quartum* de *uua marina*, *quintum* de *cucumere marino*, et *ſextum* de *mentula ma-*

rina

rina litoris maris Adriatici agit. Horum ſtructuram examinat Cl. Auctor, eorumque figuras exhibet.

p. 98. Opuſculum claudit diſſertatio *tertia*, de *vermium ſeu lumbricorum terrae reproductione* controuerſiam mouens. Quatuor haec comprehendit capita. *Primum* narrat hiſtoriam, quae Cl. Auctori occaſionem dedit has inſtituendi experientias. Non nulli rerum naturalium ſcrutatores, praeſertim Ill. REAVMVR adſeuerarunt, vermes terrenos in multas partes diſſectos, aliquorum menſium ſpatio unamquamque eorundem partem reſtitui, perfectumque vermem denuo fieri, procreando ſibi omnes illas partes, quas in ſectione lumbrici pars amiſerat, eadem ratione, qua illud in quibusdam inſectis aquaticis accidit, et a Cl. TREMBLEY, polyporum exemplis probatum eſt. Aſt perpendens Cl. Auctor lumbricorum ſtructuram minime, ut polyporum, plantarum ſtructuram aemulari: potius lumbricos ſtructura gaudere mechanica, aliorum animalium non adeo abſimili, de aſſertae rei veritate dubitare coepit, ipſeque peri-
p. 105. cula fecit. Inuenit autem illam partem ſolum modo, quae os, oeſophagum, ventriculum, inteſtini et meſenterii principium, cerebrum, cor et ouaria retinebat, incrementum paulatim capere, amiſſasque partes rurſus producere, adeoque integrum lumbricum euadere; eodem modo, quo lacertae caudas, cancri deperditas chelas, cerui quotannis cornua, ſepia ſuos articulos amiſſos cet. recuperant. Si vero diſſectio ita facta erat, ut cerebrum, cor, aut ventriculus laederentur, illae partes abſciſſae, quia organis vitae et nutritionis carebant, perierunt: ut igitur ſuperiori opinioni non, niſi multum limitatis
p. 110. ſub conditionibus, adſentiendum ſit. Ad omnia autem melius capienda *ſecundum* caput *anatomiam lumbricorum terreſtrium* exponit, primariasque partes figuris illuſtrat. Quum vero dicta ſine adiectis figu-

ris

ris intelligi nequeant, ad librum ipſum lectores ablegamus. Caput *tertium experimenta* ipſa recenſet, nosque docet, quanta cautione, quibusque ſub circumſtantiis facta ſint, ubi Cl. Auctor ſimul affirmat, ſe ſimilia experimenta in aliis terrae inſectis, v. c. teredine terreſtri, ſcolopendria, millepedibus et cochlea nuda inſtituiſſe, et ſemper reperiſſe huius modi inſecta, eorumque partes abſciſſas paucis diebus periiſſe. *Qartum* et ultimum caput continet obſeruationem de *taenia canis*, quam Cl. Auctor, dum viuum canem alius experimenti cauſa publice, in praeſentia non nullorum ſociorum, diſſecabat, in ieiuno inteſtino reperit, viuumque extraxit. Vermicularem ſuum motum per duo horae minuta continuauit, ſed breui tempore poſt obiit. Examinauit deinde Cl. Auctor, num compoſita ſit ex pluribus cucurbitinis, ut multi putarunt. Sed omnia internodia ita harmonice erant diſpoſita, firmiterque inter ſe connexa, ut nullum relinquerent dubium, hanc taeniam unum atque continuum eſſe vermem. Magis autem illum, praeter ſectionem anatomicam, conuicit extenſio cum ſpecillo craſſiori immiſſo facta, et iniectio ceraceae materiae coloratae ultra annulos, absque eorum disruptione, propulſae. Ex quibus ſimul ſumtis, una cum Sociis praeſentibus, concludit, *taeniam non ex aliis vermibus conſtare, ſed eſſe ex ſe verum atque unicum vermem.*

p. 132.

p. 147.

p. 148.

XI.

XI.

Saggi di Medicina degli Accademici Conghietturanti di Modena Tomo primo in Carpi, nella ſtampa del Publ. per Franceſco Torri. 1756. 4to. pl. 11.

i. e.

Tentamina medica Academicorum Modenenſium coniecturas facientium Tom. I.

Licet in ſpeciminibus ab hac academia propoſitis nondum inueniamus diſſertationes, quae nouis inuentis placeant, tamen cum res paruae ſaepius creſcant et futura commoda promittant, initia eius breuiter indicare conuenit. Iuniores Medici Collegii Modenenſis in ſocietatem quandam coiuerunt, in qua noua inuenta in medicina facta diſquirerent, ipſique diſſertationes varias medici argumenti elaborarent. Menſe aprili anni huius ſeculi quinquageſimi primi Sereniſſimus Princeps FRANCISCVS III Dux Modenenſis, academiam hanc medicorum ſua auctoritate ſtabiliuit; Socii itaque in conuentibus ſuis intra anni ſpatium duodecim diſſertationes praelegunt, ex quibus quatuor prelo dignae iudicantur. Praeſes huius academiae electus erat Cl. MORANDO MORANDO Medicus principis haereditarii Modenenſis, qui vero eo ipſo anno, quo tentaminum horum primum volumen editum fuit, morte praematura ereptus, ſocietati eum non reddere potuit ſplendorem, quem ab eius cura expectabant. Praefationis loco ſermo additur, quem in conſeſſu publico primo recitauit Cl. MORANDO, in quo tamen, utpote breuiſſimo, non niſi generalis exhortatio ad labores acriter ſuſcipiendos continetur.

p. 7. *Diſſ.* I. D. IOSEPHI RAMAZZINI, Medici aggregati, et primi Cenſoris Sodalium coniecturas facientium, *an gutta ſerena ſiue amauroſis dependeat a para-*

paralyſi partium organi viſus principalium, diſquirit. Eſt vero *gutta ſerena*, ex mente Auctoris, *affectio praeternaturalis, quae oculum laedit, immediata potiſſimum ac principalia inſtrumenta viſus afficiens; unde viſio prorſus aboletur, licet extime in aegrorum bulbo nil morboſi animaduertatur.* Sedem huius mali ſiſtunt partes principales viſionis, ſiue neruus opticus, in plures ramificationes diſtinctus: cuius enim ab obſtructione et laxitate ſuam illud trahit originem. Quum autem paralyſis nerui optici a plerisque noſtri aeui medicis ſtatuatur princeps cauſſa amauroſeos, Cl. Auctor hanc ſibi multis rationibus infringendam re- p. 11. futandamque ſumit ſententiam, quae vero nobis obſcurae ſatis et mancae viſae ſunt. *Subtiliori* enim *magiſterio* adſerit Noſter formatum eſſe neruum opticum, quam alii nerui, ideo, ut fibrarum eius paralleliſmum haud aeque, ac alios neruos, laceſſere poſſit multiplex morborum agmen; neque etiam addit idem obſeruari in neruo optico reſolutionem ullam, neque ariduram. Quibus praemiſſis, veras p. 16. morbi iſtius cauſſas in primis quatuor idem fuſo ſermone comprobare annititur: nimirum 1) retinae inflammationem vel humorum in filamentis eius concretionem; 2) nerui optici, a thalamis ad bulbum uſque progreſſi, compreſſionem vel corruptionem; 3) cerebri medullam lue gallica affectorum ſimul, cum perioſteo baſis cranii vel oſſis cuneiformis, ſuppuratione vitiatam; 4) tetras denique et caliginoſas exhalationes, e ſanguine vel lymphatico humore in ipſo cortice cerebri extra vaſa effuſo, fines neruorum comprimente, eleuatas, luminis organum obtenebrantes. Quae quidem cauſſae propoſitae quonam fundamento nitantur, iam non diiudicamus, certe Auctoris mentem ob impurum obſcurumque dicendi genus, quo uſus eſt, non ubique capientes.

Diſſ. 2. Secretarium Academiae Cl. WOLFGANG p. 30.
ANNIBAL LEPORATI, Med. Doct. et ſocietatis

botanicae florentinae ſocium, Auctorem habet et lingua italica conſcripta eſt. Quaeſtionem mouet: *an potus Coffee, qui inter alios effectus menſirua et haemorrhagias periodicas excitat, feminis grauidis periculum inferat?* Varia itaque generalia de nomine et virtutibus, nec non de examine chemico fructus Coffee, ex diuerſis auctoribus collecta praemittuntur, et inde ſpeciatim colligitur, hoc potus genus ventriculo hauſtum, aromaticis et volatilibus oleoſis particulis in ſanguinem abire, et dum minima corporis vaſa penetrat, motus oſcillatorios in fibris minimis excitare, ideoque etiam ad uterum peruenire, et in eius arterias violentius impelli, per venas vero valuulis deſtitutas, nulloque motu muſculari adiutas, celeriter recurrere non poſſe, ſed ſtagnando vaſa diſtendere et non raro perrumpere. Ex quibus omnibus, citatis ſimul praeſtantiſſimorum ſcriptorum teſtimoniis, incommoda, quae grauidis a potu Coffee ſuperuenire poſſint, recenſet, eiusque uſum damnat.

p. 43. *Diſſ.* 3. D. ANTONIVS MORANDI, Modenenſis, Academicus coniecturas facientium, *cognitionem anatomicam multum conferre medico, ſed eadem medicum non conflari, uſu potius, continua aegrotantium inſpectione, rerumque naturalium cognitione ipſum fieri,* copioſius comprobare ſtuduit.

p. 72. *Diſſ.* 4. *De utilitate ſanguinis miſſionis in pede in pectoris morbis inflammatoriis* diſſerit IOSEPHVS PAVARELLI, Med. Doct. In pectoris inflammationibus venam cubiti ſecandam eſſe aſſerit HIPPOCRATES et alii artis doctores eum hac in re ſequuti ſunt, cum autem non nulli venae ſectionem in pede proſpero cum ſucceſſu inſtituerint, et Cl. Auctor ad ſuam quoque prouocet experientiam, hanc argumentis adductis commendare intendit. Praemiſſa itaque differentia venae ſectionis euacuatoriae, deriuatoriae et reuulſoriae, euacuatoriam in brachio et in latere quidem affecto fieri debere ipſe concedit, reuulſoriam autem

autem in pede praeſtandam eſſe porro aſſerit. Ad locum HIPPOCRATIS prouocat, quo quam longiſſime a loco affecto ſecandam eſſe venam urget, et licet PROSPER MARTIANVS hanc venae ſectionem praeſeruatoriam eſſe dicat, tamen Noſter de reuulſoria intelligendum eſſe contendit. Poſtquam itaque de deriuatoria quaedam propoſuit, oſtendit quoque ſanguinem non cum tanto impetu per aortae ramos aſcendentes ferri poſſe, ubi euacuatione in venis pedis facta celerius in eius arterias fertur, tandemque ad experientiam prouocat, qua apparet venae ſectionem in pede fluxum menſtruum accelerare, et ſanguiſugas, haemorrhoidibus tumentibus applicatas, dolores capitis ſedare.

XII.

Eſſays and Obſervations, phyſical and litterary, read before a Society in Edinburgh, and publiſhed by them. Volume II. Edimburgh; printed by G. Hamilton and I. Balfour, 1756. 8 mai. pagin. 436. tab. aen. 7.*

h. e.

Tentamina et obſeruationes medici et litterarii argumenti, coram Societate Edimburgenſi praelectae atque ab eadem in lucem editae. Vol. II.

Indicauimus alio tempore ** Volumen primum tentaminum et obſeruationum, quas edidit praeclara medicorum Edinburgenſium ſocietas, atque lubentes iam continuatos in Volumine ſecundo eorum labores egregios exponere noſtris lectoribus adgredimur.

p. 1. 1) *Deſcriptionem nouae* plantae dedit D. ALEXANDER GARDEN, medicus Charleſtonenſis, qui eam, haud procul ab Eboraco nouo Nouae Angliae inuentam, primo intuitu putauit eſſe Hypericum, ſed examinando accuratius omnino diuerſam ab Hyperico deprehendit: Id, quod etiam Cl. COLDEN, femina rei herbariae deditiſſima, cui eandem ad examinandum miſerat Cl. GARDEN, et qua etiam hanc et deſcripſit et nomine GARDENIAE inſigniuit, ſua ſententia confirmauit. Duplex autem hic legitur plantae

* Prodiit iamiam anno 1757. Altenburgi germanica verſio huius ſecundi voluminis, cuius priores ſex articulos Cl. KAESTNER, reliquos omnes vero Zuickauienſium olim, nunc Ptochodochii Waldheimenſis Medicus Ordinar. Lic. IOANNES ERNESTVS GREDING tranſtulit.

** vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 54 ſqq.

plantae iſtius deſcriptio; una, quam Cl. GARDEN, altera quam Cl. COLDEN exhibuit. Ex utraque praecipua momenta deſcriptionis huc transferamus: Radix eſt perpendicularis, ſimplex, mollis, in plures diuiſa fibras: caulis ſimplex fruticoſus, teres, rectus glaber, ex alis foliorum ramoſus: folia ſimplicia, ſeſſilia ex oppoſito alterna, integerrima, ouata, aurita, ſuperne viridia, inferne glauca, punctis lucidis hyperici foliorum inſtar perforata: pedunculus nunc alaris, nunc filiformis terminatrix: calyx pentaphyllus, foliolis linearibus, lanceolatis acutis: corolla pentapetala pallide rubra, bracteis lanceolatis: Stamina; Filamenta nouem filiformia, baſi in tria corpora coalita, inter quae tria nectaria ſtant obtuſa, craſſa; Antherae ſubrotundae, paruae luteae. Piſtillum germen trigonum: ſtyli tres reflexi teretes; ſtigma nullum. Pericarpium capſula oblonga, obtuſe triquetra, trilocularis, triualuis: Semina plurima, parua, obtuſe cylindrica, in duobus ordinibus filamento adhaerentia receptaculo ſuo. Differt adeo *Gardenia* ab Hyperico in primis numero ſtaminum et nectariis: haec enim deſunt in Hyperico, et ſtamina plurima habet Hypericum, nouem vero Gardenia.

2) *Matricem* ſiue *ouarium Buccini ampullati* deſcribit et delineat ROB. WHYTT, M. D. Societ. Reg. et Colleg. Reg. Medic. Sodalis et Prof. Medic. Edimburgenſ. Eſt vero longa ſatis congeries cellarum, e ſucco glutinoſo, quem purpurae et buccina ſolent verſus hyemem et vere primo excernere, conformatarum, in quibus latent recens natae purpurae, quarum tamen ſtructura admiranda non poteſt intelligi facile ſine iconibus. p. 8.

3) *Fragmenta oſſium aliquot vaſtae molis* depinxit GEORGE CLERK. Scapula fuit, coſta et fragmenta p. 11.

coſtarum fractarum prope urbem Drumfries in terrae margaceae fodina effoſſa, breuique poſt reliqua oſſa eiusdem animalis, ſed deſtructa, et putantur fuiſſe alcis vel alius animalis, quod iam non amplius habitet in iſtis terris.

p. 12. 4) *Obſeruationes de luce et coloribus* exhibet THOMAS MELVILL, M. A. qui decembri menſe 1753. anno aetatis 27, magno ſcientiarum damno obiit. Diſplicuit Auctori, quod theoriae lucis et colorum nihil plane poſt NEWTONVM additum ſit, nihil eorum, quae dubia vir ſummus reliquerat, propius ad certitudinem adductum. Igitur progredi ulterius in his diſquiſitionibus decreuit, et progreſſuum ſpecimina egregia hic exhibuit. Illa nunc enumerare longum nimis eſſet, ut eſt ab inſtituto noſtro alienum, igitur titulos ſectionum ſaltem indicabimus, unde intelligant harum rerum ſtudioſi, quantum ex ſcripti ipſius lectione proficere poſſint.

Sectio I. *de mutua penetratione lucis*, unde ſummam raritatem aeque ac tenuitatem particularum lu-
p. 18. cis colligit. Sectio II. *quo modo corpora calefiant a luce.* Cum certum ſit lucem in medio homogeneo nullas amplius mutationes pati, non niſi a ſuperficie corporis ad interiora calor a luce natus propagatur, lumen vero ipſum corpori iam immiſſum, illud non
p. 22. amplius calefacit. Vnde Cl. BOERHAAVE in Elem. Chem. Art. de igne cor. 5. poſt Exper. 14. et cor. 1. 7. poſt Exper. 17. de vehementiſſimo igne in foco ſpeculi cauſtici, dum focus ille cadit in liberum aerem, quaedam non ſatis vera protulit. Scilicet aer hic ipſe a foco non calefit, eo indicio, quod plumula immediate ſupra focum ſuſpenſa, aut fumi tabaci flumen ſupra eum emiſſum, non agitentur, ut fieri deberet, ſi aer in foco calefieret, cum tunc expan-
p. 25. ſurus ſe eſſet et adſcenſurus. Sectio III. *de guttulis pluuiae in foliis braſſicae aut aliarum plantarum, mercurii*

curii ad modum ſplendentibus. Ait Noſter illas non contingere folia, ſed vi quadam repellente ad exiguam a foliis diſtantiam in aere pendula ſuſtineri.
Sect. IV. *quo modo mutentur colores corporum, varia* p. 31.
luce colluſtratorum. Colores principes, flauus, viridis, coeruleus, ad lucem ſpirituum ardentium perparum mutantur, varie vero, ſi ſpiritibus continuo ſales iniiciuntur. Sale ammoniaco, cineribus clauellatis aut alumine infuſis, rubicunda corpora ſordida veluti apparent; viridis et coeruleus iidem fere, ac ad candelae lucem videntur, ſed debiles et qui vix agnoſci poſſint, albus et flauus vix mutantur. Nitro aut ſale marino abunde ſpiritibus ardentibus immixtis, omnibusque violenter agitatis, corpora ſplendide rubicunda ad hanc lucem viſa, colore ſordide fuſco obducuntur, qualis eſt facierum, quas ſol aduſſit, et in quo nihil rubri detegitur: viridis color in alium fuſcum abit, qui a praecedente eo differt, quod ad liuidum oliuum inclinatur: nitro admixto adhuc reſiduum virideſcentis coloris cernitur, niſi maxima copia admiſceatur: color ſaturate coeruleus a nigro vix diſtingui poteſt, immo nigro ipſo profundius niger videtur: coeruleus minus ſaturus in fuſcum parum ſaturum (*very light brown*) ſui generis; albus ad liuidum ſubflauum vergit; flauus ſolus nihil mutatur, et valde ſplendet. Experimenta haec Noſter cum p. 33.
corporibus viuidis coloribus tinctis, textis ſericeis et picturis fecit. Cuprum politum, quod ab aere colorem flammae nactum eſt, in eadem luce orichalci ad modum conſpicitur, facies manusque ſpectatorum cadauera referunt. Sect. V. contra Cl. EVLERI ſententiam, opaca corpora non reflectere lucem acceptam, ſed vim illis propriam ad vibrationes in materia lucis excitandas, a luce immiſſa velut procurari, monetur nihil eſſe in rerum natura, quod vim talem corporibus tribuere iubeat. Sect. VI. *de cauſ-* p. 40.
ſis, cur radii diuerſimode ſint refrangibiles, agit, quam

in diuerſa radiorum velocitate rectius, quam in denſi-
p. 54. tate diuerſa, poni oſtendit. Sect. VII. quam parum
p. 59. adhuc *inflexionem lucis* noſcamus, monſtrat. Sect. VIII. *dubia, difficultates et coniecturas de luce, coloribus* et *coloratis corporibus* continet. Inter haec multa ſunt, quae cum theoria colorum Newtoniana vix videntur conciliari poſſe. Id vero, ut Cl. Auctor exiſtimat, non indicat theoriam eſſe falſam, ſed illam non omnia, unde lucis phaenomena pendent, continere, futura phyſicorum induſtria detegenda.

p. 91. 5) *Anonymus facilem methodum computandae parallaxeos lunae* edit.

p. 105. 6) Cl. KEPLERI Problema *de inuenienda anomalia eccentrici ex anomalia media* ſoluit MATTH. STEWART, Prof. Matheſ. Edimb. Etſi plures problematis ſolutiones iam proſtent, hanc tamen utilem eſſe poſſe credit iis, qui in altiora matheſeos non multum penetrarunt.

p. 145. 7) *De frigore ab euaporatione fluidorum producto, nec non de aliis quibusdam frigus producendi auxiliis* diſſerit Cl. GVILIELMVS CVLLEN*. Mercurii deſcenſus, in thermometro Fahrenheitiano, ſtatim poſt eius extractionem ex ſpiritu vini, eiusdem cum ambiente aere caloris, vel parum frigidior, conſtanter obſeruatus, ſimiliumque Cl. DE MAIRAN experimentorum recordatio, Noſtrum induxerunt, ut ad indagandam huius phaenomeni cauſſam varia alia ad-
p. 146. huc experimenta inſtitueret. Repetita itaque hac cum ſpiritu vini facta obſeruatione inuenit, mercurium per iteratas immerſiones extractionesque thermometri, eiusdemque, quamdiu humidum manebat, in aere libero celeres commotiones, vel aeris follium ope afflatum, a gradibus 44 infra frigoris gradum,

* d. 1 maii 1755.

gradum, et ſi alia quaedam fluida adhiberet, longe magis adhuc deſcendere. Adhibuit vero ſpiritum ſalis ammoniaci cum calce viua factum, aetherem FROBENII, aetherem nitroſum, tincturam ſulphuris volatilem, ſpiritum vini, ſpiritum ſalis ammoniaci cum alcali fixo paratum, ſpiritum frumenti, vinum, acetum, aquam, oleum terebinthinae, menthae et amomi. Et cum ordo, ſecundum quem *Cl. Auctor* haec fluida recenſuit, proportionatam inſimul fluidi cuiuslibet in producendo frigore virtutem indicet, qua, quodlibet priore loco nominatum, non ſolum proxime ſubſequens, ſed et omnia reliqua antecellat; potentiam horum fluidorum in producendo frigore proportionatam fere eorum gradui volatilitatis eſſe concludit, atque hinc quoque colligit, frigus productum euaporationis effectum, admodumque probabile eſſe, omnia fluida, miſcelam aeris immediate non afficientia, euaporando frigus producere. Licet enim thermometrum, acido quodam foſſili humectatum, conſiderabilem caloris gradum indicet, hunc tamen non ab ipſo acido, ſed ab aqua, quam acida haec ex aere attrahunt, huiusque cum acido miſcela, oriri, ex eo quoque probari arbitratur, quia acidum vitrioli duplae aquae fontanae quantitati mixtum, in thermometro, refrigerata hac miſcela humectato, maiorem ſane, quam aqua ſola, frigoris gradum ipſi produxiſſe viſum eſt. Antlia pneumatica vero ipſum docuit, frigus in ante memoratis tentaminibus productum nequaquam effectum miſcelae variorum horum fluidorum cum aere eſſe, cum potius conſtanter inuenerit, euaporationem ſpiritus vini in vacuo maiorem adhuc frigoris gradum, quam in aere libero producere. Eadem quoque experimenta cum ſpiritu calcis viuae, cum ſale ammoniaco parato, et utroque aethere ſub antlia repetiit, atque mercurium eo tempore, quo aer exhauriebatur, admodum celeriter et profunde, et quidem ſemel a

p. 149.
p. 150.
p. 151.
p. 152.
p. 154.
p. 155.

gradu 50 infra 20 deſcendiſſe inuenit. In alio cum aethere nitroſo inſtituto experimento, cum aer externus 53 graduum eſſet, vas aetherem continens in aliud aqua plenum poſuit. Recipiente vero exhauſto,
p. 156. vaſisque per pauca minuta in vacuo relictis, maximam aquae partem congelatam, et vas aetherem continens, craſſa firmaque glaciei cruſta circumdatum reperiit; et hunc, tantum frigus producendi modum, antea non cognitum, ulteriori examine dignum eſſe iudicauit.

p. 157. 8) *Experimenta cum magneſia alba, calce viua, et quibusdam aliis alcalinis ſubſtantiis* inſtituit Cl. IOSEPHVS BLACK.* Egregiam hanc diſquiſitionem Cl. Auctor in duas partes diuiſit, in quarum prima in magneſiae naturam inquiſiturus, et ſpeciatim eius proprietates cum aliarum abſorbentium proprietatibus comparaturus, harum ad modum diuerſa genera, licet ſub uno plerumque nomine comprehenſa,
p. 184. detexit. In altera vero naturam calcis ita explicare tentauit, ut facili modo plurimarum huius ſubſtantiae proprietatum rationes redderet, omniaque expe-
p. 161. rimentis ſaepius repetitis confirmaret. Ex defectu vero aliarum magneſiae ſpecierum, illam, quae ex ſale Epſomenſi, ſecundum praeparationem, a Cl.
p. 164. Auctore indicatam, obtinetur, adhibuit; et, medica eius virtute, purgandi nimirum facultate, diſquiſita, oſtendit, quaenam ſalia neutra ex coniunctione magneſiae cum quolibet vulgarium acidorum oriantur.
p. 166. Ex quo porro differentiam ſuae ipſius magneſiae ab illis duabus, Ill. FRID. HOFFMANNO cognitis, magneſiae ſpeciebus, nec non a terris calcariis, declarat, utpote, quae ſe non ſolum in coniunctione cum acido vitrioli, ſed et cum acido nitri et vegeta-
p. 168. bili facile manifeſtaret. Inquiſiturus poſtea, quemnam locum magneſia in Cl. GEOFFROY tabula electiuae

* d. 5 iunii 1755.

ctiuae attractionis obtinere queat, inuenit, alcali volatile magneſia fortius attrahere acida, lenem vero calorem hanc attractionis excellentiam ita ſuperare, ut alcali ſenſim eleuetur, et magneſia cum minus volatili acido relinquatur: Acidum terram calcariam p. 170.
derelinquere, ut ſeſe cum magneſia uniat: Paruam quoque magneſiae quantitatem, ſolutioni mercurii ſublimati corroſiui additam, ſtatim mercurii partem in forma obſcure rubri puluerıs ſeparare, ipſamque diſſolui. Similitudinem igitur quandam inter magneſiae et alcalium proprietates percipiens, Cl. Auctor experiri voluit, quamnam mutationem huic ſubſtantiae addita calx viua induceret, atque inuenit, magneſiam calcem ex aqua calcis viuae ſeparare, aquamque calcis inſipidam puramque reddere; cum calce viua p. 172.
paruaque aquae quantitate bene tritam, calcem viuam leniorem reddere. Magneſiam poſtea in calcem viuam reducturus, illam per horam calcinauit, ita, ut $\frac{3}{172}$ de pondere ſuo amitteret, quo facto, antecedentia experimenta repetens inuenit, hanc magneſiam ab acidis absque ullo efferueſcentiae gradu diſſolui, mercurium ſublimatum corroſiuum in forma nigri puluerıs praecipitare, ſeparare alcali volatile ab acido in ſale ammoniaco, neutiquam vero acidum quoddam a terra quadam calcaria, nec aquae calcis viuae minimam inducere mutationem. Volatilem p. 174.
vero iſtam partem, quam magneſia in igne de pondere ſuo amittit, quoad maximam partem aerem eſſe per experimenta cognouit, id, quod ex eo etiam apparuit, quod calcinata magneſia in ſufficienti p. 176.
quantitate ſpiritus vitrioli diſſoluta, et hinc, addito alcali, ſeparata, non ſolum proprietates ante calcinationem praeſentes, ſed et pondus amiſſum fere totum recuperaret, et praeter ea quoque cum acidis rurſus efferueſceret, quum contra alcali ad ſeparandam magneſiam additum, cum acido ſeſe absque ulla p. 177.
efferueſcentia iungeret, manifeſto indicio, aerem in

alcali

alcali praeſentem ex hoc in magneſiam rurſus tranſiſſe. Addidit dein experimenta quaedam, ex quibus cognoſceret, quaenam aeris quantitas ex alcali quodam ſeu ex magneſia per acida expellatur, et hac de-
p. 187. terminata, inter alia quoque oſtendit, Cl. HOMBERGII aeſtimationem ſalis ſolidi, in acido quodam contenti, per admixtionem alcalium inueſtigatam, ideo haud ſatis accuratam eſſe, quia alcali additum aeque de pondere ſuo quidpiam amittere, ac nouum pon-
p. 181. dus ex acidis acquirere debeat. Trium denique abſorbentium terrarum, cretae nimirum, terrae ex oſſibus animalium paratae, et terrae aluminoſae proprietates quasdam per experimenta elicere anniſus eſt.

p. 184. In parte vero ſecunda explicationem naturae calcis Cl. Auctori dedit, quae facili modo plurimarum proprietatum huius ſubſtantiae rationes redderet. Cum enim ſatis certum ipſi videretur, terras calcarias in ſtatu natiuo, nec non alcalia et magneſiam in ſtatu ſuo ordinario, largam fixi aeris quantitatem
p. 185. continere, qui ipſis tanta vi adhaereat, ut vehemens ignis neceſſario requiratur ad illum a magneſia ſeparandum, vehementiſſimusque non ſufficiat ad illum prorſus ab alcalicis fixis expellendum; hinc concluſit, relationes, inter fixum aerem alcalicasque ſubſtantias, ſimilitudinem quandam habere, cum relatione, inter has et acida, ita, ut, quem ad modum terrae calcariae et alcalia, acida fortiter attrahunt, cum iisdemque ſaturari poſſunt, ſic quoque illae fixum aerem attrahant, et in ſtatu ſuo ordinario cum illo ſaturatae ſint, qui aer vero tunc, ſi acidum cum alcali quodam ſeu cum terra quadam abſorbente miſceatur, ideo rurſus liberetur et cum violentia erumpat, quia alcalinum corpus aerem debilius quam acida attrahat, et quia acidum et aer ſimul eidem corpori eodem tempore iungi nequeant. Sibi ipſi itaque perſuaſit, terras calcarias, quando actioni ignis violenti exponantur,

tur, atque hac ratione in calcem viuam conuertantur, nullam aliam mutationem in compoſitione ſua ſubire, quam quod paruam aquae quantitatem et fixum aerem ſuum perdant: acrimoniam vero, qua poſt hunc proceſſum gaudeant, non ab addita quadam atque in igne recepta materia dependere, ſed eſſentialem quandam purioris terrae proprietatem eſſe videri, dependentem ab attractione quadam diuerſarum harum ſubſtantiarum, quas tunc corrodere ſeu diſſoluere capax eſt, quaeque attractio, ut ipſi videtur, tamdiu inſenſibilis fuit, quamdiu aer terrae adhaeſit, ſeque poſt ſeparationem demum manifeſtauit. Id, quod ex compoſitione aliorum corporum, et praecipue ſalium neutrorum ante et poſt compoſitionem ex alcali et acido illuſtrare conatur. Secundum hanc igitur theoriam relatio terrae calcariae ad aerem et aquam ipſi conuenire videtur cum relatione eiusdem terrae ad acidum vitriolicum et vegetabile. Terra enim calcaria aere ſuo priuata ſeu in ſtatu calcis viuae magnam aquae quantitatem auide abſorbet, in hoc fluido ſoluitur, et tunc calx exſtincta dicitur, quam primum vero aeri fixo occurrit, aquam derelinquit, ſeque cum aere fixo iungit. Quando igitur calx exſtincta cum aqua miſcetur, fixus aer in aqua a calce attrahitur, paruaque eius portio ſaturatur, quae dein rurſus diſſolutionis capax non eſt, pars vero remanentis calcis extinctae diſſoluitur et aquam calcis componit. Quodſi igitur hoc fluidum aeri libero exponitur, particulae calcis viuae ſuperficiei proximae ſenſim particulas fixi aeris in atmoſphaera, vel ſub forma ſubtiliſſimi pulueris, vel, quod magis probabile, ſub forma elaſtici cuiusdam fluidi, fluctuantes attrahunt, cum aere fixo ſaturantur, reſtituunturque natiuo ſtatui inſolubilitatis, et cum tota haec mutatio in ſuperficie accidat, ſenſim quoque omnis calx in ſuperficie, ſub originaria ſua forma inſipidae calcariae terrae, cremor ſeu cruſta aquae calcis dictus, colligitur.

p. 186.

p. 188.

p. 189.

p. 190. colligitur. Hinc explicat quoque, cur magneſia aquam calcis puram inſipidamque reddat, eadem vero, aere ſuo priuata, aquam calcis nequaquam mutet. Porro oſtendit, calcem viuam, alcali diſſoluto mixtam, hoc aere ſuo fixo priuare, ipſam vero hac ratione extinctam reddi, cum alcali magis corroſi-
p. 191. uum euadat. Cum ex hac vero explicatione variae concluſiones primo intuitu minus probabiles deduci queant, v. g. 1) ſi qua aeris quantitas a calce et alcalicis ſeparatur, quando illa cauſtica reddimus, ſequitur, haec partem ponderis in operatione perdere, eandem tamen, quam ante operationem, acidi quantitatem ſaturare debere, ſaturationemque ipſam absque
p. 192. ulla efferueſcentia peragi; 2) ſi calx viua nil, niſi terra calcaria aere ſuo priuata eſt, quae aerem fixum fortius, quam alcali attrahit, ſequitur, calcem viuam, ſi ipſi ſufficiens quantitas alcali aere ſaturati addatur, omnem aerem ſuum recuperare, et originario ſuo ponderi atque conditioni reſtitui: ſequitur porro, terram ex aqua calcis viuae per alcali ſeparatam, nil niſi calcem in aqua antea diſſolutam, nunc vero originario leni et inſolubili ſtatui ſuo reſtitutam eſſe. 3) Hinc inſuper ſequitur, ſi aqua calcis nil niſi compoſitum uniforme ex aqua et calce eſt, et ſi pars calcis ſic in aqua diſſolui poteſt, procul dubio quoque omnem calcem viuam in aqua diſſolui poſſe. 4) Lixiuium ſaponariorum quoque nullam calcem continere debet, niſi forſitan quantitas calcis ad aerem
p. 193. ex alcali extrahendum iuſto maior adſumta ſit. 5) Si alcali cauſticum aere deſtitutum ſit, tunc magneſiam ab acido quodam ſub forma magneſiae ab aere liberatae, ſeu quae cum acidis non efferueſcet, ſeparabit; idemque alcali cauſticum ſeparabit quoque terram quandam calcariam ab acidis ſub forma terrae calcariae aere deſtitutae, at cum aqua ſaturatae ſeu ſub forma calcis extinctae. Has, inquam, concluſiones omnes, utut minus probabiles videantur, per

experimen-

experimenta ſaepius repetita, deſcriptaque, veritati quam maxime conſentaneas inuenit. Experimenta quoque a Cl. Auctore ad cognoſcendam vim relatiuam, qua diuerſae alcalinae ſubſtantiae aerem fixum attrahunt, inſtituta, ipſum docuerunt, quod in Cl. GEOFFROY tabula electiuae attractionis quaedam mutari, eidemque noua columna addi debeat, ſecundum ſequens additum ſchema, in quo alcalinas ſubſtantias omnes, tanquam in ſtatu puro et a fixo aere liberatas conſiderauit. Monet tamen ſub finem primae columnae alcali volatile et magneſiam ideo in eadem linea poſita eſſe, quia eorum vis attractiua fere aequalis eſſe videatur, haec ſequi poſſe varia metalla, et tandem terram aluminis. En ſchema! *

p. 218.

p. 224.

p. 225.

Acida.	Aer fixus.
Alcali fixum,	Terra calcaria.
Terra calcaria,	Alcali fixum.
Alcali volatile et magneſia.	Magneſia
	Alcali volatile.

9) *De analyſi et uſu turfae* exponit ALEXANDER LIND. Primo quidem loco, quod ipſe cum turfa prope Edimburgum effoſſa inſtituit, examen chemicum enarrat Noſter, dein Cl. DEGNERI cum turfa germanica facta tentamina recenſet, eaque cum ſuis comparat

p. 226.

* Cum egregia hac diſquiſitione omnino conferri merentur, quae Cl. GEOFFROY Hiſtoire de l'academie royale des ſciences année 1746. Pariſ. 1751. pag. 284 ſeq. et Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 292. 293. item Cl. DV HAMEL, Hiſtoire de l'academie royale des ſciences année 1747. Pariſ. 1752. p. 59 ſeq. et Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 204. ſeq. nec non Cl. ROBERT. WHYTT, in Eſſays and Obſervations, Phyſical and Literary. Read before a Society in Edinburgh. Vol. I. 1754. p. 372 ſeq. et Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 67. ſeq. de calcis viuae, et aquae huius calcis natura propoſuerunt.

comparat, ut ſi qua detur, turfae ſcoticae a germanica inde pateſcat differentia. Obtinuit vero Noſter ex turfae ſiccioris, obſcure fuſcae, unciis quinque, deſtillationis ope, primo uneiam unam et ſemiſſem aquae inſipidae limpidae, dein liquoris acido oleoſi, flaueſcentis, et ſenſim obſcurioris facti, empyreumatici drachmas tres, cuius parua copia tandem alcalini quid proderet, denique calore intenſiore facto olei empyreumatici picei drachmas duas et ſemiſſem; atque in fundo vitri remanſere carbonum unciae duae, quae igne libero combuſtae exhibuere drachmas undecim et aliquot grana cinerum flaueſcentium, e quibus extraxit ſal rufeſcens impurum, ſalſum magis, quam alcalicum, in aere tamen facile fluens. Noſter liquorem magis acidae indolis, Cl. DEGNER contra illum alcalino volatilem e turfa ſeſe obtinuiſſe profitentur; quam etiam DEGNERI ſententiam confirmant duorum virorum D. SCHMIDBERG Phyſici Hagenſis, et OTTMANNI Pharmacopolae Stuttbergenſis, experimenta cum turfa facta, quae Noſter ipſe
p. 231. allegat. Quibus de analyſi turfae expoſitis, non nulla de uſu eius ſubnectit Cl. Auctor. Varias vero turfae differentias, ratione loci, e quo effoditur, et materiae ipſius, e qua conſtat, itemque praeparationum variarum, quas adhibere diuerſis in locis ſolent, adnotandas ſibi ante ſumſit idem, quam ad ipſum uſum ſeſe conuerteret. Quem quidem principem conſtat ſatis inter omnes in eo conſiſtere, ut ligni in modum ignis pabulum praebeat, et huius loco etiam ad comburendum adhibeatur: alium tamen eius Noſter commendat eumque duplicem uſum. Suadet nimirum et multis rationibus demonſtrat, turfam magno cum commodo, ad fundendam mineram ferri non minus, ac ad agros foecundandos adhiberi poſſe. Ferro enim ipſam inter fundendum aliquam phlogiſti ſui partem praebere, indeque eidem malleabilitatem conciliare; cineres vero eius optimam copioſamque

pioſamque materiem agris fimi loco ſuppeditare, comprobat. Vltimo loco addit Noſter, forte etiam turfam alio modo eoque duplici ſuam praeſtare poſſe utilitatem, ut vel puluis eius agris pratisque inſtratus plantas et ſemina a frigore defendat, vel etiam in ſtagnis et piſcinis aquarum impetum coerceat et oppilet.

10) *Effectus ſeminis Hyoſcyami* recenſet D. ARCHIBALD. PITCARNIVS, Medicus Edimburgenſis*. Iuuenis viginti annorum, tenerioris corporis habitus, medicinae cultor, ante duos annos conſueuerat ſibi, ſeminis hyoſcyami albi parua adſumta doſi, ſomnum inducere, idque ſine ullo malo effectu; ſed quum aliquando, a meridie, duplam portionem eius, circiter 25 granorum, ſumſiſſet, hora una poſt multam in ſomnum propenſionem, totiusque corporis laſſitudinem inde ſenſit. Quae ſymptomata ſenſim increuere, aliaque acceſſere peiora, nimirum ſiccitas faucium et conſtrictio, dolores colici, conuulſiones et deliria, ut adſtantes neque diſtinguere, neque mali ſui cauſſas explicare poſſet interrogatus. In tam triſti ſtatu Noſter vocatus vidit iuuenem, oculis apertis et fluctuantibus, tremore conuulſionibusque agitatum, varias corporis ſui partes et lecti vellicantem, pulſum autem obſeruauit paruum et debilem cum tendinum ſubſultu, nullum vomendi vel deſidendi conatum. Datum bis vomitorium ſtatim iterum reiecit; ſolutionem vitrioli albi deglutiit, ſed ſine optato effectu. Clyſma etiam cum vino ſtibiato bis iniectum, et veſicatorium capiti, et ſinapiſmi plantis pedum applicati fuere. Noctem tranſegit ſine ſomno, conuulſionibus ſaepe agitatus, ſed mane altero mentis conſtantia et vox rediit, caput vero adhuc fuit graue et perturbatum, ut iam ipſe, quid adſum- p. 143.

* lecta fuit d. 1 maii 1755.

adſumſiſſet, enarrare poſſet. Pulſus quoque paullo fortior. Infuſum purgans datum cum effectu optimo. Cum autem adhuc dolor et grauitas capitis ſupereſſet, ſanguinis unciae duodecim miſſae fuere poſt meridiem, ſed ſudore et ſomno tranquillo refectus, ſequenti mane bene iterum valuit iuuenis.

p. 247. 11) *Effectus ſtramonii* tradit D. ABRAHAM SWAINE, Medicus Brentfordenſis *. Senex ſexaginta nouem annorum, robuſtus, qui integra ſemper uſus ſanitate, calculo aliquot annos ante laborare coepit, ex amici conſilio bardanae vulgaris fructus colligere quum vellet, ut decoctum inde ſibi pararet ſalutare, ex errore collegit poma ſtramonii, et horum cum lacte factam decoctionem bibit: mox vertigine tactus tentat plurium colligendorum fructuum cauſſa e domo egredi, ſed non longe progreſſus reuertitur lectumque petit, multum conqueſtus de linguae fauciumque ſiccitate inſigni et anxietate praecordiorum; vox perit, et ſenſus; inquietudo ſumma et murmuri frequentia; pulſus paruus et celer; extrema frigentia; oculi torui obſeruabantur, cum delirio feroci, ut duo robuſti homines ipſum tenere vix poſſent. Tandem quietus factus veſperi, eodem die adhuc conualuit, ſumtoque purgante totam noctem bene dormiit, et mane aliquoties aluus ſoluta fuit. Notari meretur, ſenem hunc intra quatuordecim horas neque dormiiſſe, neque ullam euacuationem vomitu, per aluum, urinamque expertum fuiſſe, licet alias calculo laborans frequens urinae experiretur ſtillicidium.

p. 250. 12) *Effectus moſchi in tollenda arthritica ventriculi affectione* exponit IAMES PRINGLE, nobilis et olim chirurgus legionis tertiae pedeſtris **. Femina quadraginta tres annos nata, tenerioris texturae corporis,

* lecta fuit d. 1 maii 1755.

** lecta d. 3 april. 1746.

ris, multos annos hyſterico malo affecta cum aſthmate ſicco, frequentes inſultus arthriticos experiebatur, eosque violentiores in capite et ventriculo non minus, ac in extremitatibus, totam fere aeſtatem anni ſaeculi huius quadrageſimo quinto. Menſis nouembris ſub initium iterum vehementiores ventriculi ſpaſmos patiebatur et conuulſiones, inde per ſpinam ad fauces tendentes, quae ſuffocationis inferebant periculum, et ipſam erecto ſitu corpus tenere noctu atque interdiu cogebant. Femora intumeſcebant, et tumor ſubſidebat iterum, ſi in ſedili decumberet, ſed tum mox aſthma reuertebatur. Nihil vero praeter hauſtum vini generoſi vel tincturae ſacrae * et regimen calidum, tentabat aegra adhibere auxilii. Cl. PRINGLE, moſchi de virtute in neruoſis affectionibus perſuaſus, bolum aegrae miſit, e cinnab. natiu. et antimon. ana gr. 25. moſchi opt. gr. 16. cum ſyrup. balſam. q. ſ. paratum, dimidiamque partem mox, et ſexta hora poſt alteram ſumendam praecepit. Sequenti mane ſe melius habuit aegra, conuulſionibus parcius tentata, et poſt adſumtos aliquot bolos cum moſcho, ſecutumque inde ſudorem largiorem et ſomnum, iam in lecto decumbere potuit, ceſſantibus ſenſim ſymptomatibus reliquis. Stomachi iteratos dein ſpaſmos, mox bolo laudato ſumto coercuit, beneque iam valet.

13) *Inſolitos effectus vini antimoniati* refert D. IAMES WALKER, Chirurgus et rei nauticae negotiorum Edimburgi adminiſter **. Febriles aliquando ſentiens p. 254.

* Tinctura ſacra paratur ex Aloes ſuccotr. uncia una, cardamomi min. et ſerpentar. virgin. ana drachma una, cochinillae ſcrupulo uno, vini albi Hiſp. ſeſqui libra. conf. Pharmacopoeia Collegii medic. Edimburg. 1746. 8. pag. 58.

** lecta d. 5 febr. 1756.

ſentiens motus, mature lectum petiit, pota ante ſeri lactis, cum vino hiſpanico facti, libra una, ſed totam noctem inſignem ſoporem ſenſit aeque, ac primo mane, cum multa laſſitudine et debilitate; equo dein vectus non diu, domumque redux eundem ſoporem et torporem percepit, ac duos famulos eodem affectos inuenit malo. In cauſſam effectus huius inſoliti inquirens tandem reperit Noſter, loco vini Vlyſſiponenſis, vinum benedictum ad ſeri lactis praeparationem, ex errore, adhibitum fuiſſe; nullos vero inde vomendi conatus et ſe ipſum et famulos duos expertos valde miratur. Ipſe poſt quatuor dies, uterque famulus poſt duos, iterum conualuere, unicumque illud adhuc adnotat, pulſum in ſemet ipſo eodem die, quo biberat vinum memoratum, multo debiliorem fuiſſe, ac nocte praecedente.

p. 257. 14) *Dyſenteriam pertinaciorem, aquae calcis viuae ope curatam* tradit IAMES GRAINGER, M. D. et Medicus Londinenſis.* Dyſenteria, quae Maryburgi prope arcem a Wilhelmo dictam (Fort-William) epidemice per autumnum plerumque graſſatur, malignis ſtipata ſymptomatibus et ſaepe mortifera, militem quendam, mediae aetatis, ſed diſſolutae vitae, inuaſerat, et integrum fere per annum, fruſtra adhibitis medicamentis omnibus, excruciauerat, tuberculis haemorrhoidalibus, vermibus, fluxuque nunc cruento, nunc mucoſo, nunc ichoroſo comita-
p. 262. ta. Tandem vero aquae calcis viuae libra una ſemis cum tertia parte lactis ſingulis diebus epota mox ſymptomatum remiſſionem effecit, libraeque tres per diem, continuato per tres hebdomadas uſu, adſumtae, omnem mali adeo diri curationem abſoluerunt, aluum autem ſimul reddiderunt ſtrictiorem, ut doſis eius diminui, clyſmaque emolliens deberet iniici. Sex

* lecta d. 3 maii 1753.

Sex hebdomadas poſt aeger e noſodochio dimiſſus fuit, integrae ſanitati redditus.

15) *Epiſtola* PETRI DVGVID,* Chirurgi olim in Iamaica, *ad Cl.* ALEXANDRVM MONRO, *Seniorem*, M. D. et P. A. *de anthelmintica virtute corticis Palmae*, the wild Cabbage *ſeu* Bulge-water-tree dictae**. Refert autem Cl. DVGVID, incolas inſulae Iamaicae, praeter alios morbos, vermibus plerumque, iisque longis et teretibus e lumbricorum genere, vexari, ipſumque in diſſecto infantis cadauere, aliquando duodecim eorum inueniſſe, quorum unus appendicem vermiformem, tres valuulam coli, reliqui inteſtina occuparant; ſed addit naturam illis quoque tamquam ſpecificum ad hos depellendos dediſſe corticem arboris laudatae, cuius decoctione cum ſucceſſu utantur, nulla quidem determinata doſi. In qua iam per repetita tentamina determinanda occupatus, pollicetur alio tempore ſe communicaturum accuratiorem et doſeos medicamenti huius et naturae indolisque ipſius corticis expoſitionem. p. 264.

16) *Foetum monſtroſum* deſcribit IOHN MOWAT, *Chirurgus Langholmenſis, in epiſtola ad* ALEXANDRVM MONRO, *Sen. data****, additaque icone illuſtrat. Fuit foetus iſte duplex coalitus, quem mater ſexto menſe grauiditatis enixa eſt, horam ſemis vitae fruitus uſura. Vterque foetus femella, communi funiculo inſtructus umbilicali, omento, pancreate et diaphragmate ſimplicibus, reliquis partibus quisque ſuis gaudebat diſtinctis. Vnicum cerebrum, duo p. 266.

 cerebella

* lecta d. 1 maii 1755.

** Eſt vero haec *Palma altiſſima non ſpinoſa, fructu pruniformi, minore, racemoſo, ſparſo.* SLOAN. Voyage of Iamaica. Vol. II. London. 1725. fol. pag. 115. tab. 215.

*** d. 1 maii 1755.

cerebella viſa ſunt. In capitis poſteriore parte aures duae externae coniunctae apparuere, duobus meatibus auditoriis inſtructae, alioque in medio praeditae ductu, qui ad oeſophagum ducebat. Reliqua ex iconibus diſtinctius intelliguntur.

p. 270. 17) *Eiusdem foetus continuatam anatomen* tradit ALEXANDER MONRO iunior, M. D. et Prof. Anat. Edimburgenſis.* Quum ipſi non licuerit foetum diſſecando accuratius perluſtrare, pauca tantum adnotat Cl. Auctor in capite memoratu digniora viſa. Cranium in naturali ſtatu antica parte ad ſellam turcicam uſque obſeruatum fuit, inde duo proceſſus cuneiformes oſſis occipitalis coniuncti, in duo diſtincta oſſa occipitalia, quorum utrumque foramine magno inſtructum erat, extendebantur; duo oſſa petroſa, ſquamoſa parte deſtituta, et inter haec, loco oſſis ſphenoidei et ſquamoſi temporum, paruum os triangulare interpoſitum, occurrebant. In ore vero alterius foetus perfectioris rite formatae fuerunt partes, larynx, pharynx, reliquae, pone has alius larynx cum trachea deſcendit, cuius glottidi adhaeſit parua excreſcentia linguae inſtar, et e naribus canalis cum alio ex auribus, ut ſupra dictum, egrediente, in unum confluens communem canalem, alterum dedit oeſophagum.

p. 275. 18) *Oſſa in ouario feminae reperta* deſcripſit D. GEORGE YOVNG et cum Societate communicauit per D. IOHN BOSWELL, Membrum Collegii reg. medic. Edimburg. ** In feminae, quinquaginta circiter annorum, poſt menſtruorum ſuppreſſionem hydrope defunctae cadauere diſſecto, inuenit abdomen cruore multisque plenum hydatidibus, quarum aliae pomi, aliae oui columbini magnitudine erant, et in maiori

* d. 1 maii lecta.

** d. 1 nou. 1737.

maiori communi continebantur omnes. Viſcera reliqua ſana, ſed tuba fallopiana ſiniſtra ſolito amplior, ouariumque ſiniſtrum nihil, niſi hydatis maior, illudque dextrum caput recens nati infantis aequans, continebat materiam viſcidam albam ſeroſam, cum fragmentis maxillae, cui dentes tres molares inhaerebant, hic depictis.

19) *Pulmones et pleuram ſibi contiguos eſſe* demonſtrat ALEXANDER MONRO, ſenior. * Licet experimentum ab Ill. LIEBERKÜHN et HALLER hunc in finem factum adſerti huius veritatem euincat, alium tamen eumque faciliorem illud demonſtrandi iam docet modum. Separatis enim caute a pleura integumentis et intercoſtalibus muſculis in mortuo animali, ſi tunc alternatim attollas ſternum et coſtas, contiguos pulmones videbis, ſed pleura laeſa ſtatim oculos fugiunt collapſi pulmones. Porro in viuo animali idem ſi feceris, pulmones quoque arcte applicatos pleurae, et hanc inter inſpirandum concauam, et inter exſpirandum conuexam, ob atmoſphaerae molem incumbentem, videbis. Facilis etiam frequensque pulmonum cum pleura concretio idem probat. Noſter tandem quaerit, quae quantaque vis ſit, quae attollat ſternum, quando pleura in experimento concaua facta fuerit, quo inde vis atmoſphaerae incumbenti renitens determinari poſſit. Addit alias quaeſtiones, num vis organorum inſpirationis minor ſit vi atmoſphaerae? an illa ſuperent reſiſtentiam organorum exſpirationis? an denique coſtae arcuatae anguſtaque earum interualla ideo facta ſint, ut ab atmoſphaerae inter inſpirandum defendant nos impetu? p. 276.

20) *Experimenta cum opio in viuis et moribundis animalibus facta* recenſet ROBERT WHYTT. ** Pluribus p. 280.

* d. 7 febr. 1754.

** d. 7 aug. 1755.

ribus ranis ſolutionem opii aquoſam in os infudit Cl. Auctor, alias integras vel aperto abdomine et thorace, vel corda earum in ſimilem ſolutionem immiſit, et canibus aliquot per anum et abdominis vulnus opium aqua ſolutum applicauit, indeque inſequuta ſedulo adnotauit phaenomena, quorum praecipua ex additis corollariis huc transferamus. Opium ventriculo, thoraci abdominique iniectum, et partes has, quas tangit, et totum corpus ſenſu motuque priuat, illudque non tranſeundo cum ſanguine ad cerebrum, ut plures affirmant, ſed immediate in affectas partes operando efficit: agit vero potiſſimum in cerebrum totumque ſyſtema neruoſum, neque tamen ſolum in fines extremos neruorum in corde vaſisque ſeſe terminantes; neque a reſorpta ſubtiliori parte opii haec pendet eius efficacia; neque cor ab actione opii liberum manet, ſed eandem, ut reliqui muſculi, quamuis paullo tardius, experitur. Porro opium vim muſculorum motricem tollit, non ſolum intercipiendo fluidi neruei influxum, ſed ipſas fibras eorum debilitando, atque hinc irritabilitatem eorum infringit aeque ac ſenſibilitatem. Illud quidem ſomnum inducendo agit, ſed ſomnum tamquam effectum deſtructae prius neruorum ſenſibilitatis producit: Eidemque cauſſae tribui debent euacuationes nimiae ab opio coercitae, vel impeditae ab eodem liberae redditae. Tandem mortem animalium ab opio ſumto Noſter deriuat ab eadem cauſſa, quae nimirum organa eorum naturali ſuo ſtimulo priuet, unde ceſſaret non modo motus periſtalticus inteſtinorum et chyli tranſitus, ſed et in vaſis minoribus primo, ac maioribus poſt fluida ſtagnare inciperent.

p. 317. 21) *Hiſtoriam luxationis verae femoris* tradit D. IAMES MACKENZIE, Medicus olim Woreeſterienſis,* in epiſtola ad D. IOHN RVTHERFOORD, Praeſidem

* d. 6 martii 1755.

Praeſidem Collegii Regii Medicorum et Profeſſorem medicinae Edimburgenſem data. In noſodochium Vigornienſe quum deferebatur vir robuſtus et vegetus, quinquaginta ſex annorum, lanio, quem equus, quo vehebatur, in terram proſtratum per aliquod ſpatium ſecum traxerat, et in cauſſam ſublati inde femoris motus chirurgus quum inquirebat ſedulo, inuenit ille femur ex acetabulo extractum et in inguine caput eius oculo tactuque conſpicuum, idemque pluribus medicis primum de re ipſa dubitantibus oſtendit. Dein de reducendo in articulum femore ſolliciti diu, et apud auctores chirurgicos conſilia haud inuenientes conuenientia, tandem extenſionis et ſi haec non ſuccederet, percuſſionis vim hoc in caſu tentare decreuerunt. Apparatu, qui hic deſcribitur fuſius, utrumque in finem rite diſpoſito, primum extenſionem, ſed incaſſum, moliti fuere; breui poſt percuſſionis adplicata vi, femur ſubito cum multo ſtrepitu in acetabulum reducitur. Atque aeger poſt tres hebdomadas reſtitutus ſanitati integrae, iam incedere et longum ſatis ſpatium per diem ſine incommodo abſoluere valet, licet affectum femur adhuc ſit paullo longius altero.

22) *Obſeruationes non nullas ſuper noua ſanandae per extractionem lentis cryſtallinae cataractae methodo*, proponit THOMAS YOVNG, Chirurgus Edimburgenſis.* Quamuis infelix aliquando depoſitae cataractae ſucceſſus ab operatione hac iterum peragenda diu Noſtrum deterruerat, tandem tamen amicorum precibus commotus, noua Cl. DAVIEL methodo operationem iſtam ſexies ſuſcepit, atque nunc modum et inſtrumenta, quibus uſus fuit, et ſucceſſum operationum ingenue expoſuit. Exemplo Cl. SHARP ductus, ſimpliciorem, ac Cl. DAVIEL, inſtrumentorum adhibuit Noſter apparatum, cultello paruo cor- p. 324.

 neam,

** d. 4 mart. 1756.

neam, ſemilunari amplaque plaga diſſectam, ſpathula minori dein eleuauit, lentemque, inciſa prius eius capſula, vel acu conſueta vel ſola preſſione extraxit.
p. 327. Succeſſus operationi non in omnibus ſemper idem reſpondit, in plerisque tamen ex voto fuit. In viro quodam mediae aetatis bis peracta fuit diuerſis temporibus in utroque oculo operatio, primum in ſiniſtro, cuius inter operandum laeſa iris eandem intercepit, nulla ſequente inde noxa, dein in dextro felicius, ita, ut iam diſtincte iterum utroque oculo obiecta videat. In alio viro cataracta, ob contractam nimis et immobilem pupillam aliis chirurgis inſanabilis viſa, a Noſtro extracta eo cum euentu fuit, ut pupilla quidem adhuc immobilis, oculus tamen clarior factus lucis ſplendorem facilius, ac olim, ferat. Vtroque in oculo alius viri Cl. YOVNG operationem ſuſcipiens, e capſula lentis lacteſcentem humorem et lentem ipſam obſcure fuſcam euocauit, paruaque obiecta iam diſtinguere valent eius oculi. Tandem in femina ob palpebras anguſtiores tuſſemque excitatam difficilius quidem, cum ſucceſſu tamen abſoluta fuit operatio. Ex quibus dictis colligit Noſter, oculos, ampliori bulbo corneaque magis conuexa inſtructos, melius admittere extractionem, quam paruos planioresque in primis feminarum; reliquam vero curationem abſolui venae ſectione, diaeta parca, et repetitis laxantibus, pannique aceto et aqua imbuti ad oculum iterata applicatione. Quamuis autem ipſi peractarum operationum nondum ſufficere videatur numerus, ut comparare earum ſucceſſum cum iis in Gallia* frequentius peractis, indeque nouae methodi huius excellentiam comprobare poſſit, eidem tamen omnino ex experientia propria praerogatiuam tribuens ſpem alit, fore, ut alii exemplo ipſius excitati plura repetitaque operationis laudatae, faciant pericula.

23) *Epi-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 620.

23) *Epiplocelem in ſcrotum deſcendentem* deſcribit THOMAS LIVINSTON, M. D. et Medicus Aberdonienſis.* Poſt ſumtum mane vomitorium vir quidam, viginti octo annorum, teneriorisque corporis habitus, verſus veſperam acutis imi ventris tentatur doloribus, qui dato anodyno et clyſmate per noctem ſedati, primo mane redeunt, in primis in ſiniſtra umbilici parte ſiniſtroque teſticulo acutiores redditi. Hernioſo ibidem iam nato tumori duro et dolorifico applicantur fotus emollientes, manuque tentatur reductio; venae ſectio repetita febrem imminuit et clyſteres crebrius iniecti, quin et infuſum purgans antiphlogiſticum datum foeces copioſas induratas ſecum euocarunt; ſed hernia non mutata, pulſu debili facto, ſingultuque accedente, aeger tandem moritur. In cadauere dein aperto ſtatim apparuit omentum valde diſtentum et prolapſum, ventriculus et zona coli e ſitu ſuo naturali inferiora verſus tracti, ieiunum et ileum inflammata aereque diſtenta; in ſcroto autem diſſecto ſeſe obtulit ſaccus hernioſus tenuis, tenſus rigensque, ac in eodem omentum gangraena corruptum, ileique inteſtini gyrus in annuli abdominalis apertura haeſit gangraena itidem affectus, cuius pars altera intus adhuc remanens et coli caput inflammata, anguſtiora, putridum chylum viſcidum continebant. Tunica vaginalis amplo foramine ſeu cauo ſuſceperat omentum, ſex et dimidiam uncias pondere aequans, teſticulo illaeſo relicto. p. 333.

24) *Partus per rupturam abdominis facti hiſtoria* traditur ab ALEXANDRO MONRO, Seniore.** Femina doloribus ad partum tres dies iam tentata, ſubito facta ingenti cum ſtrepitu ventris imi ab umbilico ad pubem ſiniſtri lateris ruptura ita, ut viſcera intus conſpici poterint, infantem per hanc rimam enixa p. 338.

* d. 5 febr. 1755.

** d. 1 mai. 1755.

enixa fuit feliciter cum ſecundinis; vulnus vero ſolo butyro cum ſaccharo applicato facile coaluit cicatrice clauſum parua; cuius admirandae rei in fidem teſtes Noſter allegat, qui coram iudicio iureiurando rem
p. 339. confirmarunt. Addit ſimilem, ſed minus felicem Cl. MONRO *caſum, quo infans e rupto utero in abdomen tranſiit.* Femina nimirum mediae aetatis, inter dolores ad partum veros per dies duos continuatos, fluentibus iam aquis, ſubito e ſella reſiliit, acutiſſimo ventris affecta dolore, infans amplius tactu non potuit explorari, ſed mater, mentis quidem compos, tertio die vita defuncta fuit. In aperto dein cadaueris abdomine mox apparuit foetus perfectus cum ſecundis integris, cruore multo circumfuſo, uterique fundus antrorſum integer, mollis, et ad umbilicum prominens, ſed verſus oſſa pubis circa ceruicem ruptus. Quam rupturam diſſecto utero, ab orificio interno oblique dextrorſum ad quatuor digitorum longitudinem factam fuiſſe, ceruicem vero diſtentam communem cum fundo formaſſe ſaccum, anguſtiore reddito ſimul uteri orificio, patuit.

p. 342. 25) *Praeternaturalis aquarum cum gemellis in utero facta collectio*, a STEPHEN FELL, chirurgo Vluerſtonenſi deſcribitur.* Sub initium octaui grauiditatis menſis dolores ad partum ſenſit femina, primo ſpurios viſos, poſt veros cum delirio ſitique magna, abdomine eius in immenſam molem diſtento; ſedatis clyſtere et opiato ſymptomatibus, tactu caput infantis in aquis fluctuans quum percepit Noſter, ſtatim ruptis membranis extraxit gemellos, maſculos, perfecti infantis dimidiam vix aequantes molem, quorum alter fuit mortuus, tumens et liuidus, alter vita uſus ſexaginta quatuor horas, absque ullo ſumto alimento, ullaue per aluum aut urinam facta excretione. Aquae ſimul effuſae copia quinquaginta librarum

* d. 6 febr. 1755.

brarum fuit. Vtero autem, poſt ſecundinarum excluſionem, in naturalem contracto magnitudinem, aegra, adhibitis aptis medicamentis, ſenſim conualuit.

26) *Tophacearum concretionum, in canali alimentorum repertarum hiſtorias* tradit ALEXANDER MONRO, Senior.* Quae quidem quo rariores ſint, eo digniores omnino memoratu nobis ipſae videntur calculorum in primis viis obſeruationes. Atque horum exempla aliquot ex propria experientia in aegris facta adducit, alia ab amico Cl. STEPHENSON communicata, alia denique ex animalibus brutis petita, deſcribit Cl. Auctor. Puer, duodecim annorum, doloribus colicis, borborygmis, vomituque frequenti emaciatus, nullumque a variis adhibitis medicinis expertus auxilium, tandem, ceſſantibus illis ſymptomatibus, teneſmo et iſchuria vexatur, tumore ſimul duro in inguine ſiniſtro nato, valde dolente, in quo tactu percipi duo corpora dura potuerunt. Haec vero dein in rectum inteſtinum cum tribus aliis protruſa, forcipe extracta cum ſucceſſu fuere, quorum maximum quinque digitos volumine aequauit, globoſae et anguloſae figurae, cruſta tartarea ſplendente obductum, intus ſpongioſum, rubellum; reliqua minora, figura coloreque diuerſa fuere; in uno diffracto paruum oſſiculum planum veluti nucleus latuit, indeque cognita mali cauſſa eſt: Deglutiebat enim ſaepe una cum carne ouilla teneriora etiam oſſicula. Puer iterum poſthaec conualuit et incrementum laetius corporis cepit. In alio viro intumuit abdomen in dextra inguinis regione et induruit, nunc diarrhoeis et vomitu, nunc obſtructione alui ſuccedentibus: Cl. MONRO ſuſpicatus calculum in colo haerere, clyſmate iniecto crebrius et preſſione manuum ope tentata, ſed incaſſum, eius extractionem molitus eſt, et aeger emaciatus mortuus.

p. 345.

p. 348.

* d. 6 febr. 1755.

tuus. In quo dein aperto tophus, ſeptem digitorum mole, caput coli occupans nulla cruſta tartarea obductus, nucleo calcareo inſtructus, deprehenſus fuit, inteſtinum vero circum circa adeo contractum, ut diſcindi deberet ante, quam tophus eximi potuerit. A Cl. STEPHENSON e tribus aegris Noſter ſimiles tophaceas concretiones obtinuit, quarum aliquot nucleo pruni inſtructae, clyſmate e pueri ano euocatae fuere, reliquae e ſtratis pluribus formatae, cinerei coloris, nulla cruſta tartarea praeditae. Symptomata aegris eiusmodi ſolemnia eſſe maciem corporis, ſine appetitu laeſo, borborygmos frequentes ventrisque inde mutatam formam, addit idem ex relatione Cl. STEPHENSON.

p. 353. 27) *Obſeruationes de procidentia ani, intuſſuſceptione, inflammatione et voluulo inteſtinorum* exhibet IDEM,* et icone addita illuſtrat. Quando pars interior inteſtini recti cum foecibus protruſa non retrahitur, ſed a ſphincter ani conſtricta intumeſcit, rubet mucoque viſcido madet, procidentia ani oritur, frequens infantum, ſenum, debiliumque poſt morbos hominum morbus, plerumque non funeſtus, aliquando tamen, ſi altius deſcendat duplicata inteſtini pars, lethalis viſus in puero, in quo nec reductio inteſtini, nec iniecto lactis calidi, nec ſpecilli cum ſpongia oleo imbuti immiſſio, locum habuit, ſed in mortuo apparuit meſocolon diſruptum et inuerſio recti a flexura ſighmoidea coli deriuata. Curatio huius morbi omnis abſoluitur reductione inteſtini, quam vero non uno impetu, pannisque calidis, ut ſolent mulierculae, ſed ſenſim ſenſimque digitis, oleo imbutis vel butyro non ſalito, ſuſcipiendam eſſe recte monet Noſter: neque opus eſſe fomentis calidis partes relaxantibus, nec ſi nimis tumeat inuerſa pars, ſcarifatione idem addit, parumque tribuit externo adſtringentium

* d. 6 febr. 1755.

gentium uſui, commendans potius tincturas calidas aromaticas, ut iis tangantur partes relaxatae, et ad arcendam inflammationem venae ſectionem diaetamque refrigerantem.

Alius morbus, neque adeo infrequens eſt *intuſ-* p. 358.
ſuſceptio, quando inteſtini alicuius pars duplicata in canali alimentorum expanditur, nullo externe in ano apparente eius ſigno: Exempla aliquot hominum hoc morbo defunctorum adducit Noſter, qui fere omnes conqueſti diu de doloribus colicis, diſtenſione abdominis, vomitu, teneſmo, tandemque emaciati diem obierant ſupremum. In duobus magna pars coli duplicata, obſcure rubens et anguſta fuit inuenta; in alio vero pars ilei, coecum et appendix vermiformis a colo intusſuſcepta ad duodecim digitorum altitudinem, atque haec duplicata portio inaequalis, fuſca, altero fine coeca, ſed a latere aperta, anguſta quidem nimis, caua tamen obſeruata fuere.

Tandem ex alio puero communicauit cum No- p. 361.
ſtro Cl. CVLLEN admirandum intuſſuſceptionis exemplum, quod etiam delineatum hic exhibetur. Diu vexatus puer iſte doloribus colicis et diarrhoea, emaciatusque excreuit per aluum liuidam membranaceam ſubſtantiam, quae accuratius perluſtrata, conuolutio inteſtini alicuius fuit tredecim digitos longa, cum meſenterio annexo, et poſt haec plures minores particulas cum ſcybalis reiecit; in mortuo vero dein aperto inteſtina et omentum inuicem coalita, ileique inteſtini pars, circa ingreſſum in colon, contracta, et cicatrice notata, intus craſſa et anguſta apparuerunt, hic quoque delineata. In quibus et aliis ab Auctore adductis exemplis illud omnino admirationem mouet, quo modo adhuc vita frui tali morbo affecti per longum ſatis tempus potuerint. Quum vero plerumque ad colicos dolores ſpirituoſis calidis uti ſoleant homines, illudque in colica flatulenta cum

ſucceſſu

ſucceſſu faciant, haec ipſa, tamquam nociua ſaepius et in inflammatoria diſpoſitione exitioſa, vitanda caute monet Noſter; et venae ſectionem largam vel repetendam in imminente inteſtinorum inflammatione, ubi plerumque medicos decipit virium languor et pulſus debilitas, ſi modo dolor acutus et fixus adſit, prudens ſuadet idem. Sub finem verum voluulum ſeu complicationem inteſtini nodoſam vel impoſſibilem vel certe rariſſimum eſſe pronunciat Noſter.

p. 368. 28) *Veri voluuli inteſtinorum hiſtoriam* tradit ALEXANDER MONRO, dignus parente magni nominis filius-* In ſenis colica demortui cadauere diſſecto inuenit partem inteſtini ilei, quatuordecim digitorum longitudine, e ſinu quodam in peluem dependentem, nigram ſphaceloque corruptam; ſinum autem iſtum formarunt partes ilei ſuperiores, ab appendice vermiformi arctius conſtrictae, qui quidem pone has ipſas haeſit, ſed fine ſuo trans easdem antrorſum deſcendit in plicam meſenterii, atque ex hac difficilius potuit extrahi; finis enim eius coecus a liquore gelatinoſo diſtentus, in cauo quodam meſenterii latuit, cuius oſtium anguſtius fuit nimisque conſtrictum.

p. 370. 29) *Deſcriptio febris bilioſae, Americanis flauae dictae,* (Yellow Fever) proponitur a D. IOHN LINING, Medico Carlſtonenſi in Carolina meridionali, in epiſtola ad D. ROBERT WHYTT, Prof. Med. Edimburg. data.** Morbi maligni, qui anno ſaeculi huius quadrageſimo octauo Carolſtouni graſſatus fuit, et frequentius in meridionalibus Americae prouinciis peſtis inſtar graſſari ſolet, hiſtoriam ſolam cum prognoſi addita Noſter exhibuit, miſſis et cauſſarum inueſtigatione et medendi methodo; quae quidem quum fidam

* d. 6 febr. 1755.

** d. 7 mart. 1754.

fidam plenioremque phaenomenorum omnium complectatur recenſionem, vel ipſa ad formandum de natura morbi et curatione iudicium ſufficere videtur Cl. Auctori, adnotationes tamen, e defunctorum morbo iſto diſſectionibus factas, ſe caſu quodam perdidiſſe valde dolet. Eſt vero haec febris, flaua dicta, maligna, duos tresue dies durans, ſine ulla critica terminata excretione, relinquens aegrum valde debilitatum cum pulſu paruo, a leui cauſa magis deprimendo, ſtipata mox flauo colore albugineae oculi et cutis, vomitu, haemorrhagiis, calore tamen pulſuque febrili deſtituta, atque ita per tria ſtadia diſtincta curſum ſuum abſoluit, quae ſigillatim Noſter conſiderauit, fuſiorique ſermone expoſuit. Ex his praecipua hic adnotaſſe ſufficiant. Contagioſa eſt febris iſta, ſed a ſingulari aeris conſtitutione aut tempeſtatum viciſſitudine haud pendet: Subiecta eidem opta in primis ſunt albi homines, utriusque ſexus, et e frigidiori climate aduenae; ſed infantes, et qui ex eadem ſemel euaſerunt, et Nigritae, bilioſa alias febre affecti, ab hac prorſus immunes manent. Auguſti ſub finem plerumque incipit graſſari et ad medium octobrem durat, donec frigidior facta tempeſtas eius impetum infringit. Febrem praecedunt capitis et extremitatum, in primis genuum et ſurarum, dolores, appetitus proſtratio et virium debilitas: febris ipſa ſubito inuadit cum leui horrore; pulſus eſt frequens, plerumque plenus et durus, in aliis paruus et durus, in aliis mollis et paruus, ſub finem morbi durior factus et rarior; calor variat ſaepe et 102 gradus thermometri Fahrenheit. nunquam excedit. Sudor profuſus, mox temperatior, cutisque ſicca eſt; lingua humida rubet et albeſcit; ſitis haud ingens; frequens nauſea et vomitus; anxietas praecordiorum, inquietudo et virium proſtratio; ſanguis floridus, ſine cruſta inflammatoria, a ſero non ſeparandus; deiectiones foetidae, nigrae; mox obſtipata aluus; urina limpi-

limpida, copioſa, ſaepe turbida cum ſedimento;
p. 382. Febris iam ſecundo tertioue die ceſſat ſine ulla facta criſi, paucos ſi excipias, ſudore largo leuatos, et incipit alterum ſtadium in peiora plerumque ruens: ſymptomata enim memorata perſiſtunt vel augentur, aliaque ſequuntur. Pulſus eſt durus, et ſaepe mollis fit; vomitus niger, e moleculis flocculentis nigris bilis cum muco ventriculi abraſo conflatus; inquietudo maior; delirium; icterus; maculae cutis purpureae, liuidae in pectore et collo; menſtrua in feminis nimia; ſanguis reſolutus per ſputa, nares, oculos, aures, et urinam reiectus; aluus obſtipata, nunc liquida, nunc nigra et tenax; urina copioſa, interdum flaua, interdum ſanguinea, et turbida cum ſedimento viſcido; atque haec per octo dies perdurabant, et aegrum vel interficiebant, vel ſanitati reſtituebant.
p. 388. Tertium tunc ſtadium incipiebat vel remiſſione omnium ſymptomatum, ſi in ſanitatem vergebant omnia, vel augmento eorum ſubito, ſi in mortem ruebant. Pulſus tunc inaequalis paruus; extrema frigida liuida; facies et maculae liuidae; palpitatio cordis; reſpiratio difficilis et anxia; ſudor colliquatiuus; ſanguis ex ore, naribus et auribus fluens; ſingultus, tendinum ſubſultus; conuulſiones vitae finem faciebant. Ex quibus vero iam facile intelligi poſſunt deriuarique ſigna prognoſtica a Noſtro ſubiuncta, quorum plurima malignitatis notam prae ſe ferentia nihil omnino boni portendebant, pauca ad modum ſalutis ſpem excitabant.

p. 396. 30) *Ad obiectionem, contra inoculationem variolarum factam, reſponſionem* dedit EBENEZER GILCHRIST, M. D. Medicus Dumfregenſis.* Obiectio haec in ſocietate quadam eruditiſſimorum virorum mota illud in primis urgebat, quod variolae a natura ad purgandos ab impuritatibus humores praecauendosque inde

* d. 5 febr. 1756.

inde morbos excitentur, variolarum vero inoculatione excitatarum ſuppuratio huic fini obtinendo impar ſit et minus ſufficiens, et totidem moriantur ante virilem aetatem infantes, qui inoculati ſint, ac ante, quam haec inualuit operatio. Sed Noſter experientia viginti annorum felicem inoculationis ſucceſſum edoctus, reſpondet aliorum quoque virorum, qui eandem adminiſtrarunt, confirmatus teſtimonio et auctoritate, pauciores omnino ex infantibus inoculatis, et vix duos vel tres e centum diem obiiſſe ſupremum, et varioloſum pus inſitione corpori applicatum deſtruere ac expellere multa morborum ſeminia ante, quam euolui aetate adultiori poſſint, adeoque, quo maturius inſtituatur operatio, tanto inſignius inde in corpus redundare emolumentum.

31) *Nouam methodum medendi obſtructis menſtruis* proponit D. ARCHIBALD HAMILTON, Medicus Edinburgenſis. * Commendatam ab amico D. HVNTER ad remouendam menſium obſtructionem iliacorum externorum vaſorum compreſſionem mechanicam in femina felici cum ſucceſſu adplicauit. Quae quidem femina viginti circiter annorum, a refrigerio ſuppreſſionem menſium paſſa, iam pallida et emaciata, appetitum proſtratum, digeſtionem laeſam, et vomendi conatus, pulſum languentem et laſſitudinem inſignem ſimul experiebatur; Noſter poſt balneum purgansque aloeticum adhibitum, torcular arteriis cruralibus caute applicauit, et iam hora ſemis praeterlapſa aegra ſentiit pondus in regione uteri, et pectoris capitisque leuamen, breuique poſt redit ipſe menſtruus fluxus, ceſſans a remota faſcia, ſed eadem applicata iterum bene fluxit per tres dies, atque proxima periodo rediit, ſalua vegetaque femina. p. 403.

 32) *Hydro-*

* d. 1 maii 1755.

p.407. 32) *Hydropis praeter ſpem atque exſpectationem ſanatae hiſtoriam* enarrat THOMAS LIVINGSTON, Medicus Aberdonienſis.* In noſodochium delatus fuerat pauper homo, viginti circiter annorum, qui inter labores frigori nimis expoſitus, tandem ventrem et extremitates intumeſcere ſentierat, cum ſiti ingenti, urina pauca, appetitus viriumque proſtratione; quae ſymptomata, nullo ante adhibito auxilio, breui adeo increuerant, ut iam omnis ſalutis recuperandae ſpes deeſſet, et aeger ſuo fato relinqueretur, pauco tantum vino aqua diluto ſuſtentatus; anaſarca enim corpus totum et in primis ſcrotum, femora et crura occupauerat, cum veſiculis gangraenoſis hinc inde conſpicuis, dyſpnoea tantoque defectu virium, ut pulſus nullus percipi digitis poſſet, cordisque non niſi tremula videretur ſupereſſe vibratio. Verum altero mane aegrum Noſter viuum adhuc et paullulum leuatum quum inueniret, iſtas in femore et crure veſiculas et ſcrotum lanceola hinc inde incidit, multumque ſeri cruenti e veſiculis, ſed limpidi e ſcroto euocauit, applicatis dein e decocto aromatico fomentis, dedit aegro iulapium diureticum et vinum aqua dilutum pro potu ordinario. Repetitis inciſionibus uſuque continuato iulapii et vini, ingens copia ſeri effluxit non modo quotidie tandemque ceſſauit, ſed ſymptomata etiam ſenſim diſparuerunt omnia, et aeger perfecte conualuit, et adhibitis prius ad ventris tumorem fugandum ſquilliticis cum rhabarbaro atque pilulis mercurialibus laxantibus, integrae ſanitati reſtitutus e noſodochio exiit.

p.412. 33) *Hiſtoriam aegri periodicis nephriticis conuulſionibus affecti* exhibet CORNWELL TATHWELL, M. D. Medicus Stamfordienſis.* Femina vegeta, ſeptendecim annorum, a menſe iulio ad nouembrem, per interualla

* d. 6 febr. 1755.
** d. 1 maii 1755.

interualla tres inſultus ſpaſmodicos experta fuit, quorum prior ſubito inuaſit totum corpus violentis conuulſionibus, delirio ſtipatus ingenti, et poſt ſex horas ſomno ſolutus eſt, relicta ſimul vertigine, et aegra poſt uſum venae ſectionis et veſicatorii adhibitum iterum conualuit. Sed quatuor hebdomadibus praeterlapſis praegreſſa diarrhoea, redit alter inſultus eodem modo, ac prior, incipiens terminatusque, ſed lingua obſcure fuſca, pulſus celer, urina pallida et pauca obſeruantur. Venae ſectio repetita, emplaſtrum foetidum ventri applicatum, pilulae aloeticae cum ſapone, et valerianae radix cum liquore ſalino, ſetaceum nuchae admotum, amara et cortex chinae, balneumque frigidum adhibita fuerunt. Vltimo auguſto accedit tertius poſt diarrhoeam, cum vertigine, propenſione in ſomnum leuique delirio, nullis tamen ſtipatus conuulſionibus; aegra poſt ſomnum captum diu de doloribus ventriculi et dorſi conqueſta, nec a venae ſectione, nec a balneo, nec ab opiato leuata, vomitu quoque et dyſuria tentatur; poſt balneum vero repetitum, pilulasque e ſapone et martis ſale datas, urina copioſa cum ſedimento albo reddita fuit, doloresque prorſus ceſſarunt. Menſtrua ſemper rite fluxerunt, et una hebdomade poſt ſingulos inſultus praeterlapſa acceſſerunt. Vſus pilularum ſaponatarum et aquae ſpadanae et balnei frigidi continuatus illud effecit, ut nouembre menſe leuis admodum dolor reuerteretur, fomentis applicatis facile diſſipatus. Iam bene iterum valet aegra. Ex quibus omnibus dictis dein No- p. 414.
ſter quaeſtionem mouet, an ſpaſmi iſti fuerint conuulſiones nephriticae periodicae? illudque omnino vel ex eo affirmat, quod in aliis feminis ſimiles obſeruauerit dolores nephriticos, ante menſium ingreſſum a turgentibus magis et diſtentis eo tempore partium utero vicinarum vaſis oriundos; et quamuis nullum adfuerit ſymptoma nephritidi proprium, et

dyſuria tertio demum inſultu acceſſerit, diarrhoea vero per conſenſum ab irritatis urinariis viis nata ſit, vel inde tamen illud patere Cl. Auctor colligit, medentes nimirum in morbis, in primis in neruorum affectionibus, vel ad leuiſſima ſymptomata, et potiſſimum ad iuuantium laedentiumque effectus attentos eſſe debere.

p. 417. 34) *Febris poſt partum hiſtoriam* tradit IDEM.* Femina, quae duobus abhinc annis poſt refrigerium ſemper ſub menſium acceſſionem inſultus hyſtericos experta fuerat, iam partu feliciter peracto, lochiisque bene fluentibus, febre lactea corripitur quarto a partu die, languore, vigiliis, purpura comitata; acceſſit delirium, lingua fit ſicca et nigra, pulſusque paruus et celer. Diaphoreticis mitioribus datis et antiſpaſmodicis, veſicatorioque capiti applicato, multum inde ſeri euocatum fuit; nono die febris ſe remiſit et aegra paululum dormiit, melius ſe habens, ſpiritumque MINDERERI cum diluentibus perſpirationis ſuſtinendae cauſſa ſumſit, lateribus calidis ſimul pedibus applicatis: Sed duodecimo die increuit delirium, acceſſit coma perpetuum et conuulſio, reſpiratio difficilis, inquietudo, pulſusque vix perſentiſcitur: ſtimulans clyſma non retinetur, veſicatorium non attrahitur, urina inuoluntarie effluit: tandem ſinapiſmi in pedibus veſicam cient humoresque alliciunt, quorum affluxus, cataplaſmate emolliente et unguento ad veſicatoria applicatis, largiter promouetur. Quum ore nihil ingeri poſſet, cortex peruuianus in decocto capitum papaueris albi clyſmatibus bis per diem repetitis iniectus fuit cum optimo ſucceſſu, ut ſenſim ceſſarent dira illa ſymptomata, et poſt continuatum clyſmatum dictorum uſum, iam ore corticem et cibos iterum adſumeret aegra, priſtinasque vires recuperaret.

35) *Fe-*

* d. 1 maii 1755.

35) *Febris malignis ſymptomatibus ſtipatae hiſtoria* p. 420.
recenſetur ab EODEM.* Virum mediae aetatis animi affectu vehementiore agitatum inuaſit febris, atque vomitorio et diaphoreticis, venae ſectioni veſicatoriisque adhibitis pertinax haud ceſſit, ſed increuit potius, exanthematibus, delirio, vigiliisque ſtipata, et a dato moſcho et cortice peruuiano nihil mutata, per integrum fere menſem perdurauit: Tandem Noſter in auxilium vocatus, continuos tremores et ſubſultus tendinum, pulſum paruum, vix digitis percipiendum, linguam muco obductam, auditum grauem, ſudorem fere colliquantem, delirium, inquietudinem, puſtulas rubellas in pectore, purpureo liuidas in dorſo obſeruauit. Alvo primum clyſmatis calidi ope libera reddita, dein tinctura antimonii cum vino rubro, elixirium vitrioli et tinctura volatilis cort. peruuiani cum liquore ſalino vel tinctura roſarum tam exoptato cum ſucceſſu exhibita fuerunt, ut poſt tres dies ſudor ſenſim parcior flueret, puſtulae rubellae bene ſuppurarent, liuidaeque cum tremoribus, ſubſultu, delirioque prorſus diſparerent, et morbus abſceſſu in aure dextra formato ſolueretur. Cuius abſceſſus, veſicatorio pone aures applicato, ſuppuratio larga cum ſuſtineretur, omnia in melius mutata, pulſus fortior et plenior, urina ſaturata cum ſedimento, linguaque naturali colore conſpicua poſt aliquot dies fuerunt. Tandem tincturae ſimplex chinae corticis et breui poſt eius decoctum ſaturatum, cum interpoſitis rhabarbarinis, omnem curationem perfecte abſoluerunt.

36) *De inſolitis aquarum in variis Britanniae ſe-* p. 423.
ptemtrionalis locis motibus, terraeque Dunbartoni ſentito tremore relationes a non nullis viris exhibitae leguntur, quas quidem ipſa ſocietas iudicauit non adeo ſingulares eſſe notatuque dignas, aliquam tamen ad

 pleniorem

* d. 1 maii 1755.

pleniorem tanti phaenomeni unitis doctorum laboribus formandam hiſtoriam praebere materiem. Ex his, quas ſigillatim recenſere iam haud licet, illud omnino memorari meretur, vehementiſſimas aquarum agitationes, calendis nouembris ipſis, quibus Lisbonae contigerat dirus ille terrae motus, in continenti terra non ſentitas, in variis tamen lacubus et ſtagnis et in primis in profundiori palude, *Lochneſſ* dicta, quae vel diriſſima hyeme non congelata umquam fuit, obſeruatas fuiſſe, ad plurium pedum altitudinem eleuatis aquis et vicinos agros inundantibus.

XIII.

De Bagni di Piſa poſti a pie del monte di ſan Giuliano Trattato del Dottor GIOVANNI BIANCHI, Medico primario di Rimino. Firenze 1757. à ſpeſe della ſtamperia Paperiniana. 8 mai. pl. 6. c. icon.

h. e.

De balneis Piſanis, ad radicem montis St. Iuliani poſitis, Tractatus Auctore D. IOH. BIANCHI.

Breuem balneorum Piſanorum deſcriptionem expetebant non nulli Cl. Auctoris amici, quam in epiſtola quadam exhibere ſecum conſtituerat, ſed increſcente eius mole, melioris ordinis gratia in capita quinque diuiſit, et ita praeſentem libellum conſcripſit, qui minus neceſſarius videbatur, cum Cl. COCCHI paucis ante annis ampliorem tractatum de iisdem conſcripſiſſet. Noſter vero opuſculum hoc iis utile eſſe ſtatuit, qui aquarum harum naturam et indolem ex ſuccincta quadam deſcriptione cognoſcere cupiebant

bant, paſſim etiam non nulla, quae a Cl. COCCHI ſententia recedunt, proponit.

Opuſculum in quinque capita diuiſum eſt, in quo- p. 1.
rum primo *ſitus balneorum* deſcribitur. Cum in alia parte territorii Piſani balnea quoque deprehendantur, antiquitate et aquarum bonitate celebria, minus tamen ab aegris frequentata, quam ea, quorum aquae ad radicem montis St. Iuliani ſcaturiunt, ea ſedulo diſtinguit Noſter, tractum huius montis curioſius deſcribit, et ſimul aliarum aquae ſcaturiginum, ex eodem monte promanantium, mentionem iniicit. Saxum montis St. Iuliani durum eſt, flaueſcente et coeruleo colore conſpicuum, impreſſionesque arbuſculorum, dentritas vocant, oſtendit; ipſum vero ad aedes exſtruendas aliaque vitae commoda adhibetur. Huic vicinus eſt mons ex ſaxo albido compoſitus, et inter utrumque hunc montem aqua medicata nunc deſcribenda erumpit. Cum in his montibus veſtigia rerum marinarum petrefactarum non inueniantur, quae tamen in colliculis vicinis copioſa deprehenduntur, illos primigenios eſſe aſſerit, et arbores, ſitum terrarum vicinarum earumque culturam ſtudioſe deſcribit.

Caput ſecundum de *antiquitatibus balneorum Piſa-* p. 9.
norum exponit. PLINIVS iam eorundem mentionem iniicit, eaque cum balneo Paduano, d'Abano dicto comparat, fragmentum etiam inſcriptionis, in iis locis repertum, antiquitatem earundem declarat, immo ex columnis earumque capitellis, ad architecturam etruſcam pertinentibus, vere colligitur, ante tempora imperatorum haec balnea frequentata fuiſſe. Ab antiquiſſimis his temporibus uſque ad ſeculum decimum tertium, nulla veſtigia deſcriptorum horum balneorum inueniuntur, eo autem tempore Piſis leges ſtabilitae fuerunt, de bono ordine, in his balneis

conſeruando. De varia inſtauratione horum balneorum, ac de ſcriptis, qui eorum mentionem iniiciunt, poſtea agit Noſter et non tantum editiones citat, ſed varias res, quae hiſtoriam horum balneo-
p. 16. rum illuſtrant, excerpit. Monet inter alia Tractatum MERCVRIALIS de balneis Piſanis non Francofurti 1602 primum editum fuiſſe, ſed in eius praelectionibus Piſanis Venetiis 1597. in fol. impreſſis, ſimul exhiberi.

p. 23. Caput tertium *inſtaurationem recentiſſimam horum balneorum* conſiderat, quae a FRANCISCO I. Imperatore Romanorum et magno duce Hetruriae, anno huius ſeculi quadrageſimo ſecundo, ſuſcepta fuit, opus dirigente Ill. Comite de RICHECOVRT. Aedificia igitur, quae ad balneum orientale et occidentale pertinent, balnea varia nominibus deorum gentilium inſignita et diſtincta, cameras, in quibus embrocha, ſcilicet flumen aquarum per tubos verſatiles ad varias corporis partes validius applicatur, nec non alias, in quibus balnea laconica per calorem ſiccum et ſudorem excitantur, ſuccincte deſcribit. Icon addita elegantiam aedificiorum et ſitum balneorum non nihil adumbrat.

p. 32. Caput quartum *praecipuas qualitates aquarum balnei Piſani* recenſet. In calore aquarum definiendo uſus eſt thermometro Fahrenheitiano, quod inter punctum glaciale et aquam ebullientem ducentos et duodecim gradus, et in nonageſimo ſexto gradu calorem circiter ſanguinis naturalem ponit. Maximus calor aquarum in balneo orientali, ſpeciatim in ciſterna magna eſt graduum 106, decem igitur gradibus ſuperat calorem ſanguinis naturalem. Magis temperatus itaque eſt in reliquis balneis, ſcilicet in ciſterna laterali grad. 105 et in puteo, ex quo bibitur grad. 103, in balneis reliquis grad. 100 vix excedit, qui igitur

igitur balnea intrant, refrigerium admittunt viri ad grad. 98. foeminae ad grad. 94. In balneo occidentali calor ad grad. 100 non accedit, balnea lateralia longe temperatiora ſunt, et a Cl. Auctore accurate definiuntur.

In cauſas caloris aquae breuiter inquirit Noſter, et eas ſupra mineras ſulphuris et ferri progredientes incaleſcere cum aliis affirmat. Porro quoque aquas ſua natura calidas citius ebullire, quam frigidas, experimento inſtituto contra aliorum ſententiam aſſerit. p. 43.

Praeter calorem, cremorem et ſal harum aquarum deſcribit Cl. Auctor, in ſuperficie enim materia calcarea ſiue cremor albiſſimus et ſplendens coit, et collectus ſubſidet, id, quod etiam ſub euaporatione cognoſcitur, diuerſimode tamen in diuerſis aquis: in ciſterna enim magna duodecim librae grana 113 dederunt; haec ſatis calida eſt, in fonte Neptuni utpote frigidiore ſex ſcrupuli et gr. 14 inuenta fuerunt, in occidentalibus balneis ex ſimili quantitate aquae gr. 109 materiae calcareae collectae fuerunt, in frigidioribus minor ſemper quantitas. Si calcarea haec materia in aquis deprehenditur, inſtillato oleo tartari per deliquium lacteſcunt, acido vero vitrioli vel nitri ſuper addito iterum pellucidae fiunt. In aciduli Aſciani fontis, in quibus pauca materiae calcareae veſtigia deprehenduntur, oleum tartari per deliquium aquas non turbauit. Materia calcarea inſipida quidem eſt, calcinata tamen ſalis, arcano duplicato ſimilis, exiguam partem exhibuit. p. 47.

In balneis orientalibus, ſpeciatim in balneo Neptuni, libra aquae tria grana ſalis amari Epſomenſi ſimilis exhibuit, occidentalia vero balnea, ſpeciatim balneum reginae, vix unum alterumque granum ſali marino ſimillimum dedit, nulla vero aluminis indicia praebuit, quae his aquis a multis adſcribuntur. Fons Aſcianus vix granum ſemis in libra aquae continet. p. 50.

His

p. 53. His de caloris, terrae calcareae et ſalis praeſentia in balneis Piſanis demonſtratis, ad qualitates quasdam, ſenſibus quidem non ita obuias, ſed tamen ſat certas enarrandas progreditur, cum in his ipſis vis
p. 56. aquarum magis nobilior reddatur. Adducit ideo primo loco ſpiritum elaſticum mineralem, qui in aqua calida non tantum, ſed in aqua frigida quoque Aſciani fontis deprehenditur, et quem in perſanandis morbis per uſum harum aquarum praecipue cognoſcunt medentes. Simili etiam modo ferri particulas aſſumit, quae quidem poſt euaporationem magnete vel alio experimento chemico deteguntur, ſed ex virtute roborante innoteſcunt; illis itaque aliquam volatilem indolem adſcribit, quam non nulli quidem negabant, ipſe autem ex aquis martialibus arte factis demonſtrat, quae ferro candefacto immiſſo vim martialem recipiunt, licet martis particulae inde reduci nequeant. Addit et alia argumenta, quibus martis praeſentiam euincit, v. c. dentritas lapidibus impreſſas, quae non niſi a tinctura ferri oriuntur, rubrum colorem in quibusdam montis partibus a marte tingente deducendum, maculas flauas in linteis eorum relictas, qui balneis utuntur. Porro quoque his aquis ſulphureum vaporem adſcribit, licet nec odore nec ſapore diſpliceant, eumque potiſſimum ex aquis Aſciani fontis demonſtrat, in quibus ferrum politum nigreſcit, et odor ingratus ſulphuris ſpargitur, tandem etiam acidum volatile ſpirituoſum, ſiue ſpiritum volatilem aluminoſum, immo nitroſum, euincere tentat, et inde etiam ad vim earundem ſolida roborantem concludit, qua de cauſa in morbis chronicis potiſſimum egregios effectus producunt.

p. 69. Caput quintum *morbos particulares recenſet, quibus aquae balneorum Piſanorum medentur;* declarat itaque, quomodo apoplecticis, paralyticis, epilepticis, vertiginoſis et conuulſiuis inſultibus, doloribus capitis aliarum-

aliarumque partium, asthmati in primis conuulsiuo, tussi inueteratae et laesionibus pulmonum, tanquam praestantissimum remedium opponi possint. Et aneurysmatibus pectoris eiusque hydropi opponi posse contendit, non tantum ob diluentem et roborantem virtutem, sed quoniam sanguinem liberum reddunt a particulis corrosiuis, quae tunicas aortae arrodunt, et ideo dilatationi praeternaturali ansam praebent. Qua in re aliisque non nullis Cl. Auctor magis subtili theoriae, quam fidae experientiae inhaerere videtur. In anorexia, diarrhoea, dysenteria, lienteria et colicis periodicis ceu vitiis primarum viarum, nec non in morbis renum et vesicae praestantissimos interdum effectus expectari posse lubentius concedimus. Tandem quoque non nulla de podagra et morbis venereis subnectit.

In Appendice *regulae generales de usu harum aquarum adduntur.* Equidem vix dari possunt regulae generales, cum morborum et aegrorum differentia satis ostendat, et usum internum et balnea et stillicidia et vapores vel coniunctim vel separatim adhiberi posse, et haec omnia a medico rerum perito diiudicari debere, interim de victu, somno, quiete et motu breuissimis agit, et quantitatem, tempus et locum simul definire studet. p. 81.

XIV.

XIV.

Raccolta d'Opuſcoli ſcientifici e filologici, Tomo L. in Venezia, 1754. 12. 21 pl. 2 tabb. aen. Tomo LI. in Venezia, 1757. 1 alph. 2 plag.

i. e.

Collectio Opuſculorum ſcientias et philologiam illuſtrantium. Tom. L. LI.

Cepimus in antecedentibus Tomos huius ſylloges priores indicare, et eorum argumentum, pro inſtituti Noſtri ratione, qua phyſicam et medicinam, breuiter enarrare. Eadem nunc veſtigia prementes, Tomos huius operis ultimos recenſebimus, ſiquidem continuatio eius nacta nomen nouae collectionis Opuſculorum, noua tomorum ſerie ab anno inde 1755 editur; de qua alibi nobis ſermo erit.

Tomus L. continet, primo quidem loco STEPHANI M. FABBRVCCI, I. C. Florentini Opuſculum XI ſuper hiſtoria critica Piſana Vniuerſitatis, ex quo, cum in plerisque ad noſtrum ſcopum non facit, hoc tamen unum decerpere licebit, quod de ſchedis Duumuirorum illuſtrium GALILAEI et TORRICELLII ibidem refertur, phyſicis praeſertim gra-
p. 44. tiſſimum. Dignus eſt locus, quem ipſis FABBRVCCI verbis huc tranſcribamus. *Superſtes eſt* IO. BAPTISTA *Florentini Senatoris* IO. BAPT. NELLI *poſthumus filius, qui celeberrimo* GALILAEO *ex teſtamentaria* VINCENTII VIVIANI *diſpoſitione, obſtrictus, in eccleſia Florentina S. Crucis P P. Minorum, elegantiſſimam epigraphen, ſubſidiario calamo, adhuc adoleſcens, et pene potius puer appoſuit, et nunc* I. V. *Laurea donatus et decenti connubio iunctus haereditaria quaedam praelaudati* VIVIANI, *et exiguo impendio forte fortunae emtas ipſius* GALILAEI *et* IO. EVANGELISTAE

GELISTAE TORRICELLII *pretioſiſſimas ſchedas hactenus ſqualore ac puluere obſitas, in rempublicam literariam, obſtetricio munere, inuecturum ſeſe recepit; et utinam tam lautae ſuppellectilis, hac vel alia ratione, aliquando compotes efficiamur.* Huic FABBRVCCI voto, ut pio et rei phyſicae perquam profuturo, exhortationem noſtram addimus et Conſultiſſimum NELLIVM vel publico nomine rogamus, huius promiſſi, niſi iam facti, aliquando immemor ne fiat.

Hoc opuſculum excipit IOSEPHI ANTONII p. 127.
PVSATI ad filium ANTONIVM GAETANVM epiſtola, *de cauſa motus animalis in corpore humano;* in qua Cl. Auctor contra STAHLIVM eiusque ſequaces docet, animam non adeo influere in corpus, ut huius motus animales ab ea deduci proxime debeant, neque functiones animales, ſecretiones et excretiones, motus ſanguinis et liquorum ab anima immediate regi. Corpus enim, ut complexus plurium ordi- p. 161.
num mirabilium, ab anima tanquam a cauſa primitiua vitam et ſanitatem remote mutuat, attamen anima non pro cauſa immediata et proxima motionum naturalium, multo minus pro cauſa motionum irregularium, ſanitatem turbantium, habenda eſt. Adiicit Auctor hanc STAHLII opinionem minime nouam, ſed antiquitus non nullis iam uſitatam eſſe, quorum meminit GALENVS Cap. I. libri *de plenitudine.* Et hoc quidem loco Doctiſſimi SAVVAGES examinat argumenta, pro confirmanda Stahliana hac de re ſententia in medium adducta: Neque hos praeteruehitur Auctor, qui naturam quaeuis dicunt in corpore noſtro operari, aut viribus animalibus omnia ibidem abſolui, ante quam explicent, quid per naturam viresque animales velint intelligi. Tandem argumentis aeque ac experientia euincit, non opus eſſe operatione animae immediata ad actiones mere animales producendas, ſed ſufficere mechaniſmum,

quo

quo ad motum ſollicitato omnia reliqua perfici facile poſſunt.

p. 245. Sequitur *hiſtoriae foſſilium in agro Piſaurienſi locisque vicinis reperiundorum pars ſecunda;* Auctore IOAN. BAPTISTA PASSERI, cuius partem primam in antecedentibus iam indicauimus * continet haec ſecunda pars praeter relationem de conchis montium Piſaurinorum aliorumque locorum, ubi forte occurrunt, breuem explanationem modi, quo huius modi foſſilia a natura huc repoſita et conſeruata fuerint. Quo ipſo Auctor examinata eorum ſententia, qui teſtaceorum in montium viſceribus exiſtentiam a diluuio repetunt, eam cum recenſitis aliis opinionibus non ſolum reiicit, ſed aliam quoque ſubſtituit, partim ex terrae motibus, partim ex aquis naturaliter et ſucceſſu temporis ſubſidentibus, nouam terram continentem, colles item, ac montes producentibus: id, quod Auctor, ſi non de omnibus foſſilibus, ſaltim de corporibus marinis ſub iugis montium latentibus, probari poſſe ſibi perſuadet.

p. 301. Poſthaec Ill. Comes MVCIVS MVZANVS *modum* exponit *detegendi varios motus macularum ſolis veros et apparentes, uſu earundem ſimul declarato;* ad quod efficiendum Ill. MVZANVS utitur arcu in diſco ſolis apparente ab ſolis ortu ad eius uſque occaſum per motum maculae deſcripto; cuius demum ope verus maculae ſitus quauis diei hora deſignari atque reperiri poteſt.

p. 455. Poſtremo BONAVENTVRA PEROTTI, *obſeruationes non nullas* ſiſtit *medico-anatomicas*, de ſplene humano ſolito quinquies maiori et ex parte in ſubſtantiam oſſeam commutato; de inſolito renum ſitu, et vaſorum in iis ſanguineorum, diuerſa conformatione;

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 654.

tione; ſiniſtro nempe tribus arteriis et una vena, dextro contra una tantum arteria et duabus venis inſtructo: de quibus omnibus in praeſens plura differere nolumus, alia et prolixiora, ubi ad nouos huius ſylloges tomos deuenerimus, prolaturi.

Tomi LI pars prior complectitur opuſculum duodecimum ſuper Hiſtoria Vniuerſitatis Piſanae STEPH. MARIAE FABBRVCCI; cui tandem ſuccedit pars tomi poſterior, indicem continens perſonarum et rerum maxime notabilium, quarum in his quinquaginta ſylloges tomis aut aliqua facta ſit mentio, aut plenior tractatio occurrat.

XV.

Noua Acta Phyſico-Medica Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum. Tomus I. acced. Appendix et Tabb. aen. 13. Norimbergae. Impenſis Wolfgangi Schwarzkopfii. Anno 1757. 4. alph. 2. pl. 14½. Append. c. Indice alph. 1. pl. 16.

Quae per integrum ſaeculum floruit Academia Caeſarea Leopoldino-Carolina, haecce nouum iam ſaeculum ingreſſa datis ſtetit promiſſis, primumque nunc nouorum edidit Actorum tomum. Cum a praecedentibus actis noua haec quodam modo differant, mutationes ideo ſuſceptas breuiter annotamus. Solam nempe exteriorem iſtas concernentes formam, in maiori nitidiorique ornatu atque iconibus magis artificioſis et accuratis conſiſtere, ipſiusque operis inſcriptionem ſub Actorum Nouorum nomine, a prioribus diſtinguendorum, mutatam, atque ſectiones eorum non amplius Volumina, ſed Tomos ob euitandam, in prioribus citandis, confuſionem, inſigniri, ipſa praefatio refert.

In recenſendis, quibus Tomus hic abundat, obſeruationibus, earum tantum rerum, quae ſingulam attentionem merentur, mentionem faeere, ſtatutum habemus.

p. 1. 1) *Haemoptyſin hypochondriaco - haemorrhoidalem periodicam, per XL. annos, ſine phthiſeos labe durantem, maraſmo tandem ſenili terminatam* Cl. ALBRECHT deſcripſit. Mirandum hic fuit, quibusnam viis ſanguis, ob fluxum haemorrhoidalem haud procedentem, verſus ſuperiora tendens, progreſſus ſit. Malo enim hoc, primo circa os ſacrum, dein in dorſo et inteſtino recto, tandemque in hypochondrio dextro, ſentito ſanguis, qui nec inſignis rubedinis, nec adeo ſpumoſus, uti haemoptoicis ſolemne alias eſt, ex faucibus exiit. Ad ſeptuageſimum uſque annum hac labe afflictus vixit, tandemque ſine ulla phthiſeos nota periit.

p. 6. 2) IDEM *Polypos binos cordis latentes variorum grauiſſimorum ſymptomatum et tandem mortis cauſas* obſeruauit. Graui hoc morbo laborantis atque difficili et anxia reſpiratione, interpoſitis lypothymiis, ſummisque anxietatibus cruciati, mente hinc interdum alienati, tandem mortui corpus diſſectum, inter alia, cor magnum huiusque ventriculos ſanguine vacuos, nec non magnum ex dextro ventriculo in arteriam pulmonalem decurrentem polypum, omne huius vaſis ſpatium occupantem exhibuit. Ex ſiniſtro autem ventriculo polypus trium quidem linearum, ſed ultra pedem longus repertus fuit. Notatu dignum hic videtur, quod aegrotantis, dum in viuis fuit, pulſus ad modum quidem debilis, ſed nunquam intermittens, polypi ſuſpicionem alias excitans, obſeruatus fuerit.

3) Cl.

3) Cl. G. C. MATERNI DE CILANO descriptio *hydrocephali, post imperitum corticis peruuiani usum repente exorti atque lethalis.* Rusticus febre tertiana correptus fuit, ad quam profligandam sine praeuia praeparatione statim corticis peruuiani uncias tres tonsor quidam exhibuit. Febre hac propulsa, insignis languor relictus fuit, atque in insignem tumorem excreuit caput, ita, ut hoc duplo maius factum vere hydropicum euaserit. Faciei postea cute rupta, sero emanante, tumoreque dolorifico facto, totum corpus magnus inuasit calor, atque tumor ipse rubicundus apparuit, hicque tandem in sphacelum mutatus aegrotantem vita priuauit. p. 10.

4) *De delirio periodico, ex alui obstructione, alternis semper diebus recurrente,* mentionem facit IDEM, atque, haec scribens, foeminam hac calamitate afflictam, cunctaque remedia abnuentem, ad alterum iam annum malo hoc vexari, perhibet. p. 12.

5) Non nulla *de empyemate in vera pleuritide subnato, postea sponte rupto, cuius materia purulenta, una cum urina excreta est,* annotauit IDEM. Notabile hic est, quod puris descensum ex pectore in abdomen, illiusque progressum ad dorsi longitudinem in infimum ventrem se distincte sensisse perhibet aeger. p. 14.

6) Ab EODEM *spasmus opisthotonus lethalis, ex nerui plantaris laesione ortus,* describitur. Homo quidam pedem dextrum clauo impacto laesit, paulo post violento opisthotono per viginti sex dies correptus, conuulsionibusque quotidie insimul cruciatus periit. Miserandam huius figuram aeri incisam hic animaduertimus. p. 16.

7) *Calculi vesicae praegrandis, insueta hactenus via, incisa scilicet vagina uteri, ex vesica feliciter extracti,* p. 18.

tracti, hiſtoriam tradit Cl. SPRINGSFELD. Calculum in foemina nobili ſuſpicatus, notum illud medicamentum lithontripticum IOANNAE STEPHENS per tres menſes, incaſſum vero, exhibuit. Sectione igitur in auxilium vocata, atque veſica cum vaginae membrana ſuperiore et interiore recto vulnere inciſa, calculus trium unciarum ſexque drachmarum pondus, nec non oui gallinacei magnitudinem aequans, extractus fuit. Vtraque huius extremitas rara, mollis, friabilis cauernulisque diſtincta fuit, tertioque inter deligandum die ſuper linteolo membrana lata carnoſa reperta, quae, utrum pro ſaccu-lo, cui calculus incluſus fuit, haberi poſſit, non determinatur. An etiam iſta raritas remedio illi uſurpato tribuenda ſit, itidem affirmare Cl. Auctor non audet. Foemina ſeruata, bis deinde partum enixa eſt. Tabul. 1. fig. 2 et 3. calculi figuram repraeſentant.

p. 28. 8) *Animaduerſiones quaedam botanicae a* IOANNE CHRISTOPH. BVXBAVM, Profeſſore *Petropolitano, conſignatae, nondum vero publici iuris factae, nunc autem editae a Cl.* SPRINGSFELD. Cum non nullae a b. BVXBAVM collectae plantae et exſiccatae, tam marinae, quam terreſtres, in primis muſci, lichenes et gramina, pariterque animaduerſiones quaedam botanicae ab eodem conſcriptae, in manus Cl. SPRINGSFELD venerint, iſtas publici iuris facere, non dubitauit.

p. 29. Animaduerſio prima *Chenopodium* concernit. Ab auctoribus nimirum plerumque confundi Chenopodii ſpecies, aſſeruit b. BVXBAVM, ad quem ideo tollendam ſequentia notauit: Chenopodium, quod a TABERNAEMONTANO ſub Pedis Anſerini, rubros fructus proferentis, nomine deſcribitur, idem eſt cum Chenopodio, folio laciniato, coma purpuraſcente, vel et coma vireſcente variante. Chenopodium

dium vero latifolium, minus ramoſum, florum petiolis longiſſimis, ex foliorum alis confertim naſcentibus Cat. Hall. illi non adiungendum, ſed pro Chenopodio ſpicato, folio triangulari, dentato, Botan. Pariſ. habendum eſt. Ab hoc aetate tantum differt Chenopodium ſylueſtre Opuli folio Botan. Pariſ. quod ad Chenopodium coma purpuraſcente IVSS. refertur. Chenopodium vero ſtramonii folio Pes Anſerinus II TABERN. eſſe dicitur. Tandem Chenopodium humile, calycibus purpureis, inſtar ſtellae expanſis; porro Chenopodium maritimum, quod et Blitum maritimum dicitur, atque demum Atriplex maritima pro nouis ſpeciebus a b. BVXBAVM habitae traduntur.

Animaduerſio ſecunda *Muſcorum quorundam minus cognitorum* mentionem facit. Nuncupantur 1) Muſcus minor, lanuginoſo ſimilis, capitulis erectis; 2) Muſcus arboreus, apocarpos foliis pennatis; 3) Muſcus paluſtris ad Fontalem I. B. accedens minor. p. 31.

Animaduerſio tertia in manus Cl. SPRINGSFELD non venit.

Animaduerſio quarta *Fungos lac acre manantes* commemorat. De his antiquiores botanici unam ſpeciem, fungum ſcil. album acrem, recentiores vero plures praeter neceſſitatem conſtituiſſe dicuntur. Dari tamen fungos, lac acre manantes, a fungo albo acri diuerſos, horumque duas eſſe ſpecies aſſerit b. BVXBAVM. Prior nimirum fungum minorem, lacte acri turgentem, liuidum, ſolidioris texturae, fungum mediae magnitudinis, coloris liuidi, interdum ad coeruleum, interdum ad rubrum vergentis, ſiſtit. Poſterior ſpecies fungus eſt capitulo maiore, minus circinato, coloris lateritii, et pediculo breuiore. p. 32.

Animaduerſio quinta *fungorum poroſorum* memi- nit. Horum licet a recentioribus plures conſtituantur ſpecies, tamen non niſi duas eſſe idem dicit. Eos enim pro diuerſa anni tempeſtate variare refert. p. 33.

p. 35. Animaduerſio ſexta *fungorum* iterum mentionem facit. Magna, opinante eo, fungorum hic regnat confuſio, eorumque plures, ac vere ſunt, enumerantur ſpecies. Diſtinctio in eſculentos et noxios nullo fundamento nititur, ſiquidem multi apud non nullas gentes eſculenti ſunt, qui ab aliis pro noxiis habentur. Praeter conſuetudinem igitur nullas dari notas, quibus fungi noxii cognoſci poſſint, idem affirmat.

p. 37. Animaduerſio ſeptima *Lunariam* concernit. Plantulam hanc, quae Lunaria botrytos I. B. dicitur, cuiusque nomen retinetur, falſe Oſmundae adnumerari, nouamque huius ſpeciem in Ingria collectam et a b. BVXBAVM Lunariam minorem, folio cicutae, dictam fuiſſe, legimus.

p. 38. Animaduerſio octaua *Graminum Cyperoideorum* deſcriptionem exhibet. Gramina haec ſequenti ordine traduntur. 1) *Cyperoides altiſſimum, gracile, ſpicis exiguis, aculeatis, longe diſtantibus.* Culmi tenuiſſimi, debiles, triquetri, intra faſciculos foliorum longiſſimorum naſcentes, iſtud a congeneribus diſtinguunt. 2) *Cyperoides elatis ſpicis, rotundis, ſpadiceo viridibus.* Hoc ſumma ſpica interiore parte florifera, ſuperius ſeminifera ab aliis differt. 3) *Cyperoides humile, ſpicis habitioribus hirſutis.* Hoc diſtinguit ſpica in ſummo culmo unica, florifera ex integro, una vel duae proximae ſuperiore ſaltem parte floriferae, ſeminibus ſubiectis. 4) *Cyperoides minus anguſtifolium, ſpicis paruis globoſis, fuſcis*, in ſummo culmo ſpicas communiter tres rotundas, e ſquamis ſpadiceis conflatas habet.

p. 39. Appendicis tandem loco ſequentes ab EODEM deſcriptae traduntur plantae. 1) *Rubus humilis flore purpureo.* 2) *Alſinaſtrum T. I.* 3) *Fungus ramoſus niger, compreſſus, apicibus albidis* RAII. 4) *Stachis minor valde tomentoſa, ſpica Veronicae.* 5) *Gramen pratenſe purpureum, ariſtatum, purpuraſcente ſpica.* 6) *Agaricus*

Agaricus ſquamoſus marginibus luteis. 7) *Fucus minimus roſeus.* 8) *Planta paluſtris ad Potamogeton accedens, ſeminibus umbellatis.* 9) *Muſcus ſtellaris humilis, capitulis nudis, ad apocarpos accedens.*

Ad finem harum animaduerſionum ſpecimina aliquot plantarum a b. BVXBAVMIO exſiccatarum, hic vero aeri inciſarum, in addito ſcholio egregie illuſtrauit Ill. TREW. Quae enim a Cl. SPRINGSFELD communicata acceperat Buxbaumianarum plantarum, in primis e Lunariae et Rubi genere, ſpecimina ſicca cum aliis e ſuo herbario inſtructiſſimo additis, non ſolum tabulis aeneis depicta exhibuit, ſed etiam haec cum figuris et deſcriptionibus eorundem a multis optimisque botanicis datis ſtudioſius comparauit, atque varietates, an nouae ſpecies conſtituant, accurate doĉteque definiit. Sunt vero ex his praecipue nominandae aliquot varietates Lunariae vulgaris et noua ſpecies cicutae folio dicta a BVXBAVMIO, atque a nullo adhuc deſcripta botanico, itemque Rubus humilis flore purpureo. p. 43.

9) *Pomeraniae ulterioris fons medicatus Polzinenſis* deſcribitur a Cl. D. G. THEBESIO. Huic fonti principium martiale volatileque ſulphureum, limpidiſſima aqua dilutum, ineſt. Praeter haec et terram alcalinae indolis in eodem reperiri, experimenta oſtendunt. Fontis huius, aquis Lauchſtadienſibus aequiparati, uſus externus tantum eſt, et in morbis chronicis, neruoſi in primis generis affeĉtibus, ut contracturis, paralyſi cet. Deinde etiam in morbis ab atonia viſcerum neruoſique generis debilitate ortis, ac malo hypochondriaco, hyſterico cet. magnarum depraedicatur virtutum. p. 60.

10) *Superfoetationis* caſum annotauit IDEM. Foemina duos uno diei ſpatio edidit foetus, quorum prior ſanus atque perfeĉtus prodiit, poſterior vero p. 65.

aliquot elapſis horis editus, flaccidus et trium aut quatuor menſium iudicatus fuit. Ex incremento huius minori et infirmiori corporis habitu caſum hunc veram ſuperfoetationem ſiſtere, Auctor ſibi ipſe perſuadet.

p. 69. 11) IDEM *partus continuo numeroſi* mentionem facit. Ruſtica foemina trino partu undecim foetus enixa, primo quadrigeminos, anno ſequenti tergeminos viuos edidit, paulo poſt iterum quadrigeminos abortiuit.

p. 70. 12) *Partus ſeptimeſtris vitalis* hiſtoriam tradit IDEM atque enarrat, infantem ſeptimo menſe natum, debilem ad modum, oculis clauſis, mutum, in capitis cute pilis carentem, ad nonum uſque menſem eundem, ac in utero, ſitum membrorum, naturalesque excretiones, licet reſpirauerit, retinuiſſe, atque ſumma matris cura educatum, vigeſimum quintum iam aetatis annum tetigiſſe, ita tamen, ut primo grallis ſuffultus, dein absque his genubus curuis incedens, imberbis pueruloque aequiparandus in conſpectum prodeat.

p. 74. 13) IDEM *terminum parturiendi grauidis ut plurimum certum* conſtituit, atque iuniores, quae circa nouilunium menſium fluxum patiuntur, partum eo imminente aut in ipſo nouilunio eniti, adultiores vero, quae maximam partem circa plenilunium menſtruatae ſunt, ipſo cum plenilunio parere, expertus aſſerit.

p. 77. 14) *Optima iteratos abortus praecauendi remedia* IDEM commendans, iſta, ſi uteri atonia abortus cauſa ſit, a ſumma per plurimos geſtationis menſes quiete inſtitutaque tertio cuiusuis menſis initio venae ſectione ſuppeditata fuiſſe, atque effeciſſe, ut foemina

mina partum dein perfectum ediderit, annotat. Sola autem venae sectione abortus non semper praecaueri, imo ea repetita ad abortiendum foeminas disponi, affirmat.

15) *Largiorem et repetitam in grauidis venae sectionem infantum imbecillium causam* IDEM statuens, grauidas etiam plethoricas tuto saepe venae sectionem omittere posse, ideoque cautius in grauidis venae sectionem admittendam esse praecipit. p. 80.

16) *Curam recens natorum corporis et animi formatricem* esse IDEM ostendit, causasque corporis animique corrupti in nutricibus mercede conductis, porro nimia ciborum et praematura spirituum ingurgitatione, pariterque praemature omissa fasciarum inuolutione, nimiaque demum cunarum agitatione inueniens, horum igitur abolitionem sedulo commendat. p. 82.

17) *Morsum hominis summe irati et alterius in necem intenti periculosum* annotauit Cl. L. G. KLEIN. Militem quemdam latro male tractat, eiusque digitum, illum pro mortuo habens, mordet, postmodum in fossam praecipitat. Miles, qui mortuum se simulauit, quantum valet, urbem vicinam petit, ubi curae chirurgi committitur. Digitus demorsus gangraena correptus amputatur, atque vulneribus sanatis restituitur vulneratus. p. 85.

18) *Spinam humeri et brachii ventosam fatalem ex paronychia pessime tractata* describit IDEM. Rusticus paronychia laborans et ad barbitonsorem accedens statim ab eo ad amputationem praeparatur. Operatio ita facta est: Ipsius rustici cultro communi digitum utrinque incidit, torquet et auellere tentat iste; his incassum tentatis, eundem cultrum intra digiti phalangam primam et metacarpum intrudit, quo p. 88.

facto digitus maximam partem abſciſſus, tandem ab illo circumforaneo manu auellitur, ipſa autem cum ſoli fere naturae committitur. Operatione hac crudeli peracta brachii affecti ſtatus de die in diem in peius ruit, idque in inſignem excreuit magnitudinem, atque ſpina ventoſa in eo primo obſeruata, ſphacelo que poſtmodum oborto, miſer ille miſere demum periit.

p. 91. 19) *Herniae inguinalis, incompletae, inflammatae ſuppuratae, ruptae, conſolidatae exempla bina* propoſuit IDEM, tumoreque ſuppurato, ſponte dein rupto, in utrisque lumbricos per aperturam exiiſſe, obſeruauit.

p. 92. 20) *Vſus Ducciae Mattiacarum ad rheumata* commendatur ab EODEM. Deriuatur nimirum aquarum ſtillicidium, quod *Ducciam* vocat, ad partem affectam, quo per aliquot tempus continuato, furunculis prius obortis hisque rite tractatis, rheumatiſmum cedere Cl. Auctor perhibet, pariterque rheumatiſmos furunculis ſponte obortis ceſſare, obſeruauit.

p. 94. 21) *Hydropem ſcroti poſt variolas manu feliciter curatum*, ita, ut inſtrumento, quod *Trois-quarts* vocatur, applicato librae aliquot aquarum exierint, cuteque dein, ob lentum humorum effluxum, ſcalpello inciſa, aquae ad triginta libras ſucceſſiue emiſſae fuerint, IDEM commemorat.

p. 96. 22) *Teſticuli dextri tumorem praegrandem a conquaſſatione, diſcuſſum, data occaſione recrudeſcentem variolis plenarie ſuperatum* deſcribit IDEM, hacque inſimul occaſione, ex alius medici obſeruatione, tumorem teſtium venereum, ſuperueniente febre, reſolutum fuiſſe, perhibet.

23) *Scari-*

23) *Scarificationis ſiniſtrum euentum* obſeruauit Cl. H. F. DELIVS. Ex ultima nimirum ſcarificatione homo quidam moleſtum pruritum in eo dorſi loco, ubi illa ſuſcepta fuit, ſentiens, eumque manibus et ad columnam ligneam fricans, inflammationem ibi excitauit, ad quam curandam balneator unguentum ex adſtringentibus applicuit. Auctum inde malum in ingentem abſceſſum, ad gangraenam tendentem, abiit. Aſt remediis rite adhibitis, pureque exeunte, eo tandem malum diſpoſitum fuit, ut aegrotans euaſerit. p. 97.

24) *De ſecundinis ſerotinis* verba facit IDEM, licet Cl. Auctor putet, ſecundinarum extractionem non eſſe differendam, foeminae tamen meminit, quae ſecundinas per aliquot dies retentas, poſtea corruptas excreuit, et morbo ſuperato euaſit. p. 101.

25) *Defluuium capillorum omniumque crinium uniuerſi corporis ſingulare* commemorat IDEM: hominem, enim vidit, qui nullum in ulla regione corporis pilum vel minimum habuit, quorum defluuium poſt morbum grauem ſuperatum ortum fuiſſe notat. p. 103.

26) Ab EODEM *febris epilepticae* mentio facta eſt. Licet ex inſcriptione huius obſeruationis nouam febris ſpeciem ſuſpicari facile quiuis poſſet, ipſam tamen obſeruationem perlegentes animaduertimus, febrem hanc ad intermittentium tertianarum claſſem pertinuiſſe, ſymptomata autem febrem vel praecedentia vel concomitantia ita ſe habuiſſe, ut paroxyſmus iſte febrilis ab incautis facile pro epilepſia haberi potuiſſet. p. 104.

27) *Aſthma, Icterus et Haemoptyſis tandem funeſta ex graui praecipuorum pectoris et abdominis viſcerum labe oborta* deſcribuntur a Cl. C. F. KÜHN. Qui hisce p. 107.

hisce malis laborauit, in iuuentute iam ſentiit molimina haemorrhoidalia, poſt modum autem malis ſupra nominatis quotidie vexatus, vitamque de die in diem miſeriorem trahens, ultimo tandem vitae ſtadio ſanguinem floridum ſpumeſcentem ad duas menſuras reiecit, atque horis aliquot elapſis maiorem adhuc quantitatem ſanguinis reiiciens, eo ipſo momento extinctus eſt. In cadauere aperto, praeter aliorum viſcerum ſtatum morboſum, veſiculam felleam inciſam ne guttulam quidem bilis emiſiſſe, atque viſceribus remotis ſingularem vertebrarum dorſi et lumborum curuaturam, cuius conuexitas dextrum latus reſpexit, obſeruatam fuiſſe, legimus. Notandum etiam eſt, quod in iſto homine, dum vixerat, nec gibboſitas nec etiam ulla deformitas exterius notata fuerit.

p. 110. 28) *Morbum a faſcino malitioſe ſimulatum* IDEM deſcribit. Foemina videlicet anxietatibus inſignibus, conuuſionibus crebroque animi deliquio afflicta, plus quam ſimplici vice faſciculos ex pannis laneis et linteis arcte conuolutos, coram multis hominibus euomuit, haecque, pro faſcinata habita, iuſſu dein principis, ad eruendam veritatem, cuſtodita ſerioque admonita tandem confeſſa eſt, ſe ita ſimulaſſe, haecque cuncta a vetula quadam didiciſſe, eademque ſaepe tentaſſe, uſque dum in producendis illis ſymptomatibus ſatis exercitata illa pro lubitu producere potuiſſet.

p. 113. 29) *Hydropis tribus ſubiectis funeſti* hiſtoriam tradit Cl. I. H. FVRSTENAV. Iſti aegrotantes, morbo illo defuncti, remediis absque ullo morbi decremento diu uſi fuerunt, tandemque ſuccubuerunt.

p. 117. 30) *Febrium ſoporoſarum* IDEM meminit. Deſcripto hominum quorundam, febribus his laborantium,

tium, ſtatu Cl. Auctor addit, eiusmodi febres cortice peruuiano non debellandas, ſed ob cauſam, in primis viis quaerendam, euacuantibus et digeſtiuis curandas eſſe.

31) *Sapor oris ſalſus* in viro quodam per quindecim annos obſeruatus, nec ullis remediis obediens et ad vitae finem uſque durans annotatur ab EODEM. p. 120.

32) *Prolapſum vaginae uteri in virgine* obſeruauit IDEM, inſimulque annotauit, vaginae prolapſum frequentius ipſo uteri prolapſu obſeruari, foeminasque, viris nunquam nuptas, licet minus frequenter, huic tamen malo interdum obnoxias eſſe. p. 122.

33) *Trepanatio in oſſe tibiae feliciter et cum fructu adminiſtrata* annotatur ab EODEM. Crure nimirum vehementer contuſo atque carioſo inde facto, ipſoque malo contra omnia remedia perſiſtente, trepanum bis uſurpatum fuit; qua operatione feliciter peracta, integrum ex interiori oſſis tibiae lamina fruſtum exemtum malumque dein curatum fuit. p. 124.

34) *Abſceſſum in femore* notabilem vidit et deſcripſit IDEM, perhibens, inter deligandum ingentem haemorrhagiam ortam fuiſſe, quam, nullis vaſis maioribus laeſis, pro vicaria ideo excretione haemorrhoidali habuit. p. 125.

35) *Ex diarrhoea in varioloſis quaedam praeſagia* exhibet Cl. R. A. VOGEL. Omnes varioloſos, qui ſtatim ab initio morbi ad undecimum uſque diem deiectiones aluinas habuerunt, euaſiſſe; atque omnes contra, qui die undecimo elapſo nunc demum diarrhoea laborarunt, obiiſſe, obſeruauit, ideoque diarrhoeam, ita obſeruatam, certi quid de exitu variolarum praeſagientem, pro vero ſigno prognoſtico habendam p. 127.

bendam esse statuit. Num vero, ut Cl. Auctor dicit, nemo adhuc eius rationem accurate habuerit, obseruationes de eadem hac re iam editae declarant.

p. 128. 36) *Anatomico hydraulicae obseruationes de arteriarum pulsatione* proponit Cl. F. L. B. de SAVVAGES. Quod arteriae non ob sanguinem, intra illas progredientem, sed ob impetum sanguinis, in illas a corde proiecti, versus earum parietes reflexum, et resistentias ideo expertum pulsent, ex legibus hydraulicis a Cl. Auctore demonstratur.

p. 141. 37) Cl. C. W. SACHSIVS instituit *sectionem anatomicam phthisici, mictum cruentum saepius experti, tandem ischuria ex spasmis et inflammatione mortui, cum breui huius morbi epicrisi.* Cadauere aperto, partibusque internis perlustratis, omentum fere totum corruptum, glandulae mesaraicae obstructae et notabilis magnitudinis, intestina hinc et illinc inflammata, pariterque viae urinariae inflammatione correptae fuerunt; in vesica autem urinaria caruncula quaedam ad eius orificium apparuit, quae hoc plenarie occlusit, unde etiam urinae retentionem frustraneamque catheteris applicationem Cl. Auctor deduxit. Pulmonum denique lobos ulcere, totam substantiam perreptante, nulla de reliquo vomicae praesentis nota, corruptos, neque praeter memoratas affectiones aliud quid in viis urinariis reperiit.

p. 146. 38) *Rachitidis congenitae atque hermaphroditi* meminit Cl. L. G. KLEIN. Cum in disquisitione corporis tenelli, pro hermaphrodito habiti, Cl. Auctor impeditus sectionem istius ad finem perducere nequiuerit, dubium etiam remansit, utrum infans iste hermaphroditis adnumerari vere potuerit.

39) IDEM

39) IDEM *cerui atque ferini capri cornua exempli* p. 148.
rarioris deſcribit, ceruumque tria cornua, capri vero cornua octo propagines, German. *Enden*, habuiſſe refert; quae icone repraeſentantur.

40) *De uteri ſtrangulatu* egit Cl. G. H. KANNEGIESSER. p. 149.
Hunc affectum, qui et ſuffocatio uteri dicitur, in conuulſiua uteri membranarum contractione, vicinas corporis partes in conſenſum trahente, omnesque actiones animales et vitales laedente conſiſtere Cl. Auctor oſtendit, cauſasque huius mali proximas in vitioſis humoribus in utero corruptis, v. g. menſtruo ſanguine non rite purgato, remotioresque cauſas in temperamento calido ac humido quaerit. Cuncta haec fuſius ab Eo declarantur, ſymptomata illa mirabilia, nec non ſigna, quibus hic morbus ab aliis, quibus cum facile confundendus, diſtingui poſſit, diuerſique pariter euentus recenſentur, ac huius denique affectus curatio ſubnectitur.

41) *De carcino* IDEM commentatus eſt. Morbi p. 163.
huius, qui cancer etiam vel et carcinoma dicitur, nomine deriuato cauſas eius diſquirit Cl. Auctor, internasque in humorum acredine, acido nimirum, maſſam humorum inquinante, ponit, atque ab externis iniuriis, contuſione v. g. preſſione cet. cancrum itidem oriri, affirmat. Signis huius mali diagnoſticis expoſitis, variam dein, prout partes ſunt, quae eo infeſtantur, conſtituit prognoſin, et ad curationem demum accedens, remedia et interna et externa pariterque auxilia chirurgica commendat, quorum applicationem vel et omiſſionem ipſius morbi ſtatu determinari dicit. Inter remedia interna, in primis martialia, antimonialia et mercurialia, cumque huius morbi cauſa in acido poſita fuerit, prae reliquis ideo alcalinae indolis remedia laudantur, quorum externa etiam applicatio prudenter facta, multum

omnino

omnino praeſtare, dicitur. Herba Ruperti, folia ſolani, agrimoniae, ſemperuiui, perſicariae et becabungae tanquam ſpecifica commendantur, harumue ſuccus externe applicatus mirae depraedicatur virtutis. Nulli vero remedio malum hoc obediens, ſolis duntaxat remediis, dira iſta ſymptomata mitigantibus, tractandum eſſe, Cl. Auctor praecipit.

p. 175. 42) *Annotationes pathologico-practicae in hydrophobiam, eiusque curationem, cum Regia Societate Scientiarum Londinenſi a Medicis Anglis communicatam*, exhibet Cl. D. G. THERESIVS. Cum hydrophobia vera et iam praeſens ita ſe habeat, ut aegrotans prorſus fere omnem medicinam vel reiiciat vel deglutire nequeat, magnam ideo, ſi quis curationem huius promittat, aut feciſſe dicat, vanitatem eſſe, Cl. Auctor pluribus oſtendit. Aſt praecaueri hydrophobiam poſſe, affirmat. Inter alia igitur, quae huc ſpectant, Nux vomica atque Amygdalae amarae commendantur, quarum uſum in hominibus, a cane rabido demorſis Cl. Auctor expertus laudat. Notabile autem eſt, quod nux vomica et amygdalae amarae, quae canibus pluribusque animalibus venena ſunt, hominibus demorſis, in praecauenda hydrophobia veram medicinam largiri videantur. Cl. Auctorem medicamenti heroici doſin non indicaſſe, miramur.

p. 183. 43) *Dentium dolor epiſpaſtico cedens* annotatur a Cl. C. P. GESNERO. Sinapi ſemen cum pauxillo aceti tritum, cumque fermento panis in placentam formatum, brachio lateris affecti applicatur, et tamdiu ibi relinquitur, donec ceſſarit dolor. Notatu etiam dignum eſt, quod idem remedium errore brachio lateris oppoſiti applicatum, dolores in dentibus lateris huius ſani excitauerit, qui autem ceſſarunt, ſtatim ac brachio affecti lateris impoſitum fuerit. Verum

rum auxilium iſthoc remedium, pluries tentatum, in doloribus a dente carioſo dediſſe Cl. Auctoris experientia confirmat.

44) *Lingua tumens ſuppurata, cum enormi ſaliuae fluxu* obſeruata fuit ab EODEM. Intra nycthimeron nempe plus quam duodecim ſaliuae librae, morbo eo praeſente, effluxerunt, ipſeque aegrotans poſthac ſanatus narrauit, ſe ab inſecto quodam punctum fuiſſe, quod confirmaſſe videtur etiam chirurgus, quippe qui aculeum in pure ſe reperiſſe arbitratus eſt. p. 185.

45) *Delirium pertinax poſt febrim acutam* annotauit IDEM. Delirium hoc contra omnia remedia rebelle venae ſectione demum in fronte ſuſcepta ceſſaſſe dicitur. p. 186.

46) Ill. C. A. DE BERGEN non nulla *de imagine unius eiusdemque obiecti, a diuerſis hominibus in eadem diſtantia ſub diuerſa magnitudine viſa* collegit, variasque inde quaeſtiones formauit tandemque aſſeruit, ab eo, qui cuncta obiecta videt maiora ſimulque diſtincta, melius quoque res minutiſſimas in his obiectis occurrentes diſcerni poſſe. p. 187.

47) *De maculis et faculis a ſolis aſpectu in oculo reſiduis* IDEM non nulla exponens ex opticis demonſtrauit, quaenam huius phaenomeni ſit cauſa, et unde fiat, cur ii, qui lucubrationibus opticisque experimentis viſum debilitarunt, et maculas diuturnas et illuminantium obiectorum ad tempus retineant imagines. p. 188.

48) IDEM *de effectu deleterio, cauſaque ſphaericitatis globulorum minorum plumbeorum, vulgo Schrodt,* non nulla meditatus eſt. Ex praeparatione horum globulorum deleterium eorum effectum, ſi degluti- p. 192.

untur, Cl. Auctor oſtendit. Parantur enim ex liquato plumbo, cui auripigmentum inſpergitur, quo autem facto arſenicale hoc concretum, plumbo adhaerens, in canalem alimentorum deductum vim ſuam deleteriam exercet. Cur autem plumbum fuſum, quod per ſe in aquam proiectum figuram longam aſſumit, auripigmenti puluere obductum ſphaericam acquirat figuram, ex legibus attractionis Cl. Auctor demonſtrat.

p. 195. 49) *Camphorae in aqua ſalubilis quaedam phaenomena* annotauit IDEM. Camphora in puluerem redacta et aquae commiſſa, aliquem huius particularum motum gyratorium vidit Cl. Auctor, experimenta dein ulterius inſtituens inuenit, camphorae particulas in aqua frigida non ſolum fuiſſe motas, ſed non nullas etiam diſparuiſſe. Nullum autem motum particularum harum in aqua calida obſeruans, in frigidiſſima contra aqua vehementiſſimum earundem motum fieri notat. Quod autem camphorae ſolutionem in aqua concernit, Cl. Auctor oculo armato ex particula camphorae ſeſe mouente tenuiſſimam effluere vidit materiem, cuius effluxus tamdiu continuauit, uſque dum motus iſte ceſſarit. Reperit quidem particulam ſuperſtitem, ſed aquam ſapore et odore camphorae imbutam ſentiens, eam inde tanquam exuuias conſiderauit.

p. 198. 50) *De vitiligine, et quidem illa ſpecie, quae a* CELSO *ἡ λεύκη dicitur*, obſeruationem communicauit Cl. I. W. F. ROSENBAUM. Huius mali duas eſſe ſpecies, Cl. Auctor demonſtrat, unam, quae ἄλφος atque alteram, quae λεύκη nuncupatur. In priori cutis colorem album, ſubaſperum, nec continuum, ita, ut quaedam quaſi guttae diſperſae appareant, habet. Poſteriorem vero ſpeciem, alpho quidem ſimilem, ſed magis albidam, altiusque deſcendentem cum pilis albis

albis lanugini ſimilibus Cl. Auctor ipſe obſeruauit, atque iſtud malum, quod interdum pertinax eſſe dicitur, penitus exſtirpauit.

51) *Exulcerationem tonſillarum pertinacem* cuncta que remedia eludentem, ſortioribus tandem abſtergentibus crebrisque alui ſubductionibus curauit IDEM. p. 202.

52) *Carcinoma faucium, velum palatinum, tonſillas atque uuulam obſidens cum plenaria huius conſumtione* eadem fere methodo, qua praecedens malum, curare tentauit atque etiam praeſtitit: In primis pilulas ex Panacea Edimburgenſi * confectas extollit, hasque in ſanando iſto malo palmam reliquis praeripuiſſe, IDEM affirmat. p. 205.

53) *Oculi vulnus, cum grauiori contuſione, lethale* annotauit Cl. I. S. ALBRECHT. Hominis cuiusdam oculus ſiniſter exploſa ex ſclopeto charta compacta percuſſus fuit, quo facto ſtatim in terram antrorſum cadens ſine ſenſu per aliquod tempus iacuit, poſt modum ad ſe rediens et a non nullis domum reductus, grauioribus ſymptomatibus affectus, die nono obiit. In cadauere partibus omnibus diſquiſitis, praeter oculum laeſum nihil praeternaturale repertum fuit. Oculus autem laeſus ita ſe habuit. Tunica cornea perforata fuit, omnesque humores et aqueus et vitreus, nec non cryſtallina etiam lens defecerunt, tunicaque choroidea ſanguine turgida apparuit. Lethalem hanc contuſionem dixit Cl. Auctor, utrum autem ad vulnera abſolute lethalia pertineat, pronunciare non auſus fuit, interim tamen notauit, ob plures hic concurrentes neruos oculum laeſum grauiſſimis affici p. 209.

* Eſt vero haec mercurius dulcis cum ſpiritu vini digeſtus, iterumque exſiccatus. vid. Pharmacop. Colleg. Reg. Medic. Edimburg. 1744. 8. pag. 180.

ſymptomatibus, inter quae ſpaſmus oris, etiam hic obſeruatus, prae reliquis laeſos comitari ſolet oculos.

p. 214. 54) *Omphalocelotomia a chirurgo imperito temerario auſu ſuſcepta in duobus infantibus, germanis eiusdem parentis liberis, lethali ſucceſſu funeſta* annotatur ab EODEM. Duobus infantibus, uni duorum annorum, alteri octodecim hebdomadum, partem umbilici prominentem homo quidam, chirurgum ſeſe profeſſus, ſtatim, ac acceſſit, reſecat, quo facto tenuia in utrisque prolabuntur inteſtina, quae videns, faſcia laxe circumducta, aufugit et ex urbe exceſſit. Rationales dein chirurgi et medici accedentes, omni opera adhibita inteſtina ob perpetuos vagitus reponere non valuerunt. Paulo poſt uterque periit. Haec itaque Cl. Auctor notans, omphalocelotomiam nec in adultis multoque minus in infantibus ſuſcipiendam eſſe monet.

p. 219. 55) *Caſus aliquot rariores rabiei caninae indequ ortae hydrophobiae* commemorat Cl. C. F. KÜHN. Praeter unam foeminam, aegrotantes omnes, quorum hic meminit Cl. Auctor, diris horrendisque ſymptomatibus cruciatos, morbo tandem ſuccubuiſſe legimus. Quod autem ſuperſtitem illam concernit foeminam, iſta medicum, ante quam hydrophobia accederet, conſuluit, atque unguento digeſtiuo cum theriaca et mercurio praecipitato rubro vulneribus applicato, perque tres dies turpethi mineralis granis quatuor aſſumtis, ſeruata fuit. Tandem et animaduertimus, ab eodem cane, qui foeminam vix nominatam momorderat, decem vaccas demorſas, hincque in furorem actas, trucidatas fuiſſe. Licet autem nullum hactenus certum proſtet hydrophobiae remedium, de eo tamen inueniendo nondum prorſus deſperans Cl. Auctor, a mercurialibus multum ſperandum eſſe, arbitratur.

56) *Puſ-*

56) *Puellae mirandae corpulentiae* mentionem fa- p. 225.
cit IDEM. Puella haec, tertium duntaxat annum agens plus quam centum librarum pondus aequauit, et anno 1753. hic Lipſiae obiit *.

57) IDEM *de electricitate medicamentoſa* non nulla p. 226.
annotauit, virique, cum quo ob artuum tremorem electrica experimenta inſtituit, membrum affectum maculis rubris obſeſſum, madore perfuſum, muſculosque machina electrica tactos inuoluntarie conuulſos, virum vero iſta affectione non liberatum fuiſſe, obſeruauit. Curati dein hominis exemplum proferens, iſtud artificium loco rubefacientis medicamenti quidem admittendum, minime vero omnibus de eo factis iactationibus fidem adhibendam eſſe, monet.

58) *Mercurii ſaliuationem non cientis praeparatio-* p. 228.
nem addidit Cl. I. C. IACOBI. Cum multi iam de mercurio talem virtutem poſſidente ſcripſerint, ſuam quoque illius mercurii praeparationem Cl. Auctor communicat. Recipit nimirum aliquot mercurii currentis libras, has cum aqua per tres dies continuo terit, quo facto puluerem nigrum acquirit, cuius partem unam cum decem partibus hypnotici mercurialis remedii, in Appendice huius Tomi deſcripti ſenſim coniungit, atque ita praeparatum adultis ad ſcrupulum dimidium exhibet.

59) *Nouum remedium ulcerum cancroſorum et can-* p. 233.
cri aperti deſcribit IDEM. Iſtud nimirum remedium antimoniale a BASILIO VALENTINO deſcriptum et a KERKRINGIO in cancro iam laudatum Cl. Auctor quodam modo mutatum ſiſtit. Recipit nempe ſubtiliſſimum vitri antimonii puluerem, quem cum oleo

 vitrioli

* Hanc deſcripſit Cl. KAESTNERVS in promptuarii Hamburgenſis Vol. XI. p. 356. vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 434.

vitrioli optimo in pultis conſiſtentiam redigit, huic poſt modum acetum vini ope frigoris concentratum ad trium digitorum eminentiam adfundit, digeſtione dein peracta ex hoc liquore acetum lithargyrii praeparat, tunc autem cum aurato ſulphure antimonii primae et ſecundae praecipitationis una cum oleo papaueris recenter expreſſo coctione balſamum ſulphuris conficit, huncque a remanentia ſeparatum cum emplaſtro diapomphol. miſcet. Tandem ex hoc balſamo ſulphuris aurati antimonii et ſupra nominato aceto lithargyrii unguentum parat, quod cancro aperto applicuit, eumque penitus exſtirpauit.

p. 237. 60) *De tutiſſima paroxyſmorum febrilium abbreuiatione* non nulla proponit IDEM. Cum ob nimiam febrium durationem vires perſaepe deiiciantur, atque aegrotantes magnam omnino faciant iacturam, de abbreuiatione earum Cl. Auctor ideo cogitans, remediumque quaerens, in ſale ammoniaco fauſto cum euentu tale reperit. Drachmam unam huius ſalis pro doſi tribus vicibus de die exhibens, febres feliciſſime profligatas fuiſſe perhibet, ideoque etiam atque etiam commendat. At vero, cum et febrium continuarum quaedam ſpecies ſit, quae genium intermittentium ſeruant, quaeque tanquam periculoſae conſiderantur, harum etiam abbreuiationem atque felicem propulſionem in cortice Caſcarillae, eum vel decoquendo vel infundendo, inuenit.

p. 241. 61) *De ſingulari concreto oſſeo per anum eiecto mentionem* facit Cl. G. G. MÜLLER. Vir quidam per quatuordecim dies inſigni alui obſtructione laborans, durumque nec ſummis etiam nixibus cedens, obſtaculum in inteſtino recto ſentit, multisque remediis domeſticis fruſtra uſurpatis ad Cl. Auctorem accedit, eumque de remouendo hoc obſtaculo implorat. Oleoſis igitur copioſis iuſculisque pinguibus interne ſumtis,

tis, enematibusque et aliis etiam externis in uſum vocatis remediis, tandem concretum durum, oſſeum, notabilis magnitudinis, ſummis cum doloribus excernit, ſimul autem cunctis illis afflictionibus, quibus per decem annos vexatus fuit, liberatur. Concretum hoc vere oſſeum portionibus tunicae villoſae et nerueae in dyſenteria, qua ante decem annos laborauit aeger, abraſis ortum debere, atque in inteſtino coeco per tantum tempus haeſiſſe, ex ſymptomatibus omnibusque circumſtantiis collectis Cl. Auctor non absque ratione demonſtrat. Additae icones concretum hoc delineatum ſiſtunt.

62) *De infante recens nato, ex palati defectu, mortuo* mentionem facit Cl. H. N. CRANTZ. Ob totius palati oſſei defectum, mollisque palati malam conſtitutionem infans in ſugendo lacte et deglutiendis cibis valde impeditus ſenſim ſenſimque contabuit et elapſis ſex a partu ſeptimanis tandem periit. Anatomice praeparatum caput Cl. Auctor ſeruat. p. 259.

63) *Herniam abdominalem, ab exeſo per gangraenoſum anthracem abdomine natam* deſcribit IDEM. In infantis umbilico natum fuit tuberculum, quod ulterius ſerpens omnia abdominis integumenta et muſculos exeſit, inde abdomen in tumorem eleuatum herniam exhibuit. Infantis mortui corpore diſſecto in cauitate herniae peritonaeum, inteſtina tenuia colon et anteriorem hepatis partem repererunt. p. 262.

64) *Raram et ingentem muſculorum pectoris eroſionem feliciter tandem ſanatam* commemorat IDEM. Nato prius in papilla mammae ſiniſtrae tuberculo tota infantis mamma, cutis omnisque panniculus adipoſus muſculorum abdominalium conſumuntur. Remediis applicatis poſt aliquot tempus omnes hae partes nudae regeneratis integumentis iterum tegun- p. 264.

tur, ita, ut ne minimum exeſae partis remanſerit veſtigium.

p. 266. 65) *Haemorrhagiam uteri grauidi, a praeternaturali ſitu placentae, parte quadam ab utero ſolutae, ortam, matri et proli funeſtam* annotauit Cl. F. L. C. CROPPIVS. Grauidae poſt mortem corpore diſſecto, uteri placentam non loco conſueto, ſed parieti poſteriori uteri interno et orificio eiusdem affixam, atque praeternaturalem etiam infantis ſitum obſeruarunt. Huius enim dorſum uteri fundum, atque caput dextum, pedes vero ſiniſtrum tetigerunt latus. Notandum autem eſt, quod foemina et infans ſeruari potuiſſent, niſi obſtetrix, inſtantem partum explorans, placentam uteri orificio infixam pro firmitet clauſo orificio habuiſſet, unde haemorrhagia oborta et ad mortam uſque durans matrem ac infantem vita priuauit.

p. 271. 66) *Miaſma venereum per ſaliuam et ſudorem miri diſſeminatum et propagatum feliciterque iterum ſublatum* obſeruauit IDEM. Triſtis haec hiſtoria docet, quomodo homines, caſtam et integram vitam degentes, morbo hoc contaminoſo infici poſſint. Quinque enim perſonae, absque ulla culpa lue iſta laborarunt, ita tamen, ut ab una, quae miaſma hoc, mammam ſugendo attraxit, quatuor infantes partim per oſcula partim per lectum, in quo puella ſana cum ſorore ſua innocenter infecta cubuit, foediſſimum hunc morbum conceperint. Remediis rite adhibitis omnium morbus feliciter profligatus eſt. Notabile autem videtur, quod unus filius, qui tamen cum infectis his perſonis commercium quotidie habuit, ab omni labe immunis manſerit, cui vero, ad praecauendam luis euolutionem, purgationes mercuriales Cl. Auctor exhibuit.

67) *De*

67) *De ſpecifico quodam antepileptico non nulla* addit Cl. I. F. WEISMANN Sen. Remedium hoc arte chemica productum ſequenti modo praeparatur: Sumitur vitrioli cyprini quaedam portio, aqua pluuiali ſoluitur, poſt modum filtratur, liquori filtrato ſpiritus ſalis ammoniaci ad ſaturationis punctum adfunditur, quiete dein paululum conceſſa, additur ſpiritus vini rectificatiſſimus, unde liquore turbido prius facto elegantes cryſtalli ſapphirinae praecipitantur, quae ſeparatae vitro bene clauſo aſſeruantur, et in profliganda epilepſia mira praeſtitiſſe dicuntur. p. 276.

68) *De morbis neruinis eorumque remediis* non nulla proponit Cl. C. F. IOERDENS. Neruorum fluidum ceu ſubtiliſſimum Cl. Auctor conſiderans, morbos igitur, motum iſtius vel imminuentes aut ſiſtentes vel et accelerantes, remediis actiuis, volatilibus particulis praeditis, et ſubtilitati huius fluidi ſimilibus, e. g. ſalibus volatilibus, C C. Viperarum, ſpiritu C. C. Camphora cet. curandos eſſe, expertus praecipit. p. 280.

69) Breuem *Pelicani hiſtoriam* tradit, Ill. I. a. de FISCHER. Auis haec, quae ad anſerinum genus pertinet, et Pelecanus ſeu et Onocrotalus nuncupatur, ita deſcribitur: *Cygnum*, inquit Ill. Auctor, *corpore ſuperat, non vero altitudine, nec collum habet adeo arcuatum, roſtrum autem longum, in extremitate acutum et uncinatum, et ſub illo ſaccum plicatilem, ingluuiem nempe, quae magnam quantitatem piſcium, quibus veſcitur, capit.* Ingluuies haec adeo ampla eſt, ut eius initium facile caput hominis capere queat. Colore gryſeo, fere aſinino, in primis caput eius gaudet. Reperitur circa Pontum Euxinum atque flumina in eum decurrentia. Pro nutriendis pullis pectus findere iſtam auem tradit vetuſtas. Cuius fabulae originem ſequentibus niti Ill. Auctor coniicit. Ro- p. 284.

ſtrum videlicet iſta auis plerumque pectori contiguum tenet, eiusque pulli ex eo cibum capiunt, inde eos ex pectore fiſſo nutriri crediderunt veteres. Tabula addita huius auis delineationem ex WILLVGBEII ornithologia deſumtam repraeſentat, de qua Ill. Auctor notat, Pelecanum roſtri apicem ſemper pectori propius, quam quidem in hac figura deprehenditur, admotam tenere.

p. 289. 70) *Singularis et praeternaturalis inteſtini coli conformatio, una cum liene ingentis magnitudinis et ponderis, cauſa tumoris abdominis, grauiditatem per nouem menſes mentientis, poſt mortem ſectione cadaueris detecta* deſcribitur a Cl. I. C. REINMANN. Corpore aperto in medio abdominis deorſum verſus umbilicum deſcendiſſe inteſtinum colon, idque in medio valde ampliatum, atque breui poſt triplo minus et contractius fuiſſe, obſeruauit. Cauſam huius deſcenſus et magnitudinis lieni, ſplenem bouis magnitudine atque pondere libras quatuor aequanti, Cl. Auctor adſcribit, ipſum vero praeternaturalem lienis ſtatum ex febre tertiana inconſiderate profligata ortum eſſe aſſerit, atque inteſtini coli delineationem addit.

p. 294. 71) *Proceſſus vermiformis, ſex pollicum tranſuerſorum longitudinem atque unius craſſitiem ſuperantis, in ſenili corpore reperti* meminit IDEM. Huius praeternaturalis proceſſus vermiformis tunica exterior inflammata fuit, qua cum ſequentibus diſſecta materiam viſcidam, oui vitello quoad colorem et conſiſtentiam ſimilem, nullo odore aduerſo praeditam, in cauo huius proceſſus repererunt. Notandum eſt, virum, in quo hicce proceſſus repertus fuit, ante obitum per aliquot annos in dextro hypochondrio de dolore colico, unum ſemper locum occupante, conqueſtum fuiſſe.

72) *In-*

72) *Infanticidium violentum ex ossibus capitis per integrum annum sub terra defossis, diiudicatum et declaratum* fuit ab EODEM. Ex decenti ossium magnitudine, eorumque firma compage, atque ex unguibus perfectis et capillis, foetum viuum editum fuisse, Cl. Auctor collegit, atque disquisitis ossibus, molles enim partes iam computruerunt omnes, maculam fuscam atro rubentem in osse bregmatis huiusque fracturam reperiens pronunciauit, infantem manu trucidatum fuisse. Ipsius foeminae occidentis confessio Cl. Auctoris sententiam confirmauit. p. 297.

73) Ab EODEM etiam *singularis renum figura in pueri corpore reperta* fuit, ita, ut non solum maiores, verum etiam renibus bouillis similes in conspectum venerint. Matrem, lanionis mulierem, marito, dum bouem mactauit, adstitisse, renesque exemtos accurate contemplatam fuisse Cl. Auctor perhibet, et simul horum renum delineationem exhibet. p. 300.

74) IDEM *canalem arteriosum sinistrae subclauiae insertum* in corpore hominis catarrho suffocatiuo extincti vidit. p. 302.

75) Ab EODEM *hepar per totum abdomen transuersim se extendens* obseruatum fuit. Ingens illud hepar, ventriculum integrum tegens, et in hypochondrium sinistrum sese extendens, colorem rubrum, in plumbeum pauloque flauum vergentem, habuit. Foemina, in qua viscus hoc visum fuit, lochiorum suppressione mensiumque obstructione laborauit. p. 303.

76) In eadem foemina *ventriculi malam conformationem, thoracis* (vulgo, Schnürbrust) *abusu inductam* IDEM obseruauit. Margo enim anterior extremitatis dextrae introrsum fuit incuruatus, ventriculique capacitas p. 304.

capacitas ſumme coarctata. Ventriculum hunc repraeſentat addita icon.

p. 305. 77) *Monſtroſum funiculum umbilicalem in foetu trium menſium per abortum excluſo* vidit Cl. I. P. BVRGGRAV. Funiculus iſte ad modum tenuis vagina caruit, in tamen, ut vaſa diſtingui haud potuerint. Idem huic funiculus fine ſuo non placentae uterinae, ſed foetus thoraci in dextro latere adhaeſit, ab hoc autem progrediens, altero ſuo extremo liber, placentae demum inſertus fuit.

p. 309. 78) *Cutem capitis totius capillatam adoleſcenti euulſam feliciterque reſtitutam* commemorat IDEM. Rota enim dentata operis hydraulici adoleſcentis, quindecim annorum, comas in faſciculum contortas arripit, quo ſentito iſti, ſtatim trabem fortiſſime amplectenti, omnis capillata cutis auellitur, ita, ut in parte bregmatis dextri anteriore et ſuperiore cranium inſimul denudatum fuerit. Curae chirurgi commiſſus adoleſcens reſtitutus fuit integrae ſanitati.

p. 310. 79) *Hiſtoriam tranſmutati hydrargyri in aurum* communicat IDEM. A mercatore quodam accepit, Gallum quendam duabus unciis hydrargyri in crucibulo addidiſſe puluerem croco martis ſimilem, trium aſſium, ſuperadditis cineribus clauellatis ſiccis, omnibus candefactis ſtrepitus aquae bullientis perceptus fuit, ſub quo 375 grana auri ex duabus hydrargyri unciis formati ſunt.

p. 313. 80) *Vulnus pugione pectori inflictum lethale, ſitusque viſcerum in huius et abdominis cauitate ſingularis poſtea detectus* annotatur a Cl. R. DE VERMALE. Vulnus hoc dextro thoracis lateri, eo in loco, ubi papilla eſt, inflictum ad modum anguſtum fuit, vulneratique elapſis quinque horis mortui corpus diſſectum

ctum omnia viſcera abdominis modo inuerſo exhibuit, ita, ut cuncta dextri lateris in ſiniſtro huiusque in dextro viſa fuerint. Aperto thoracis cauo cor tranſuerſim, diaphragmati incumbens, eiusque baſis ſiniſtrum, apex vero dextrum latus reſpiciens, atque omnia modo pariter inuerſo in conſpectum venerint. Cor utrinque perforatum fuit, licet dextrum latus vulnus acceperit, at ſitus tamen praeternaturalis hoc permiſiſſe videtur. Mutationem hanc viſcerum non adeo raram eſſe, atque talem a natura vel eſſe congenitam, vel etiam a morbis interdum productam Cl. Auctor ſtatuit. Hac tandem occaſione caſus inſimul meminit, ubi cuiusdam thorax absque ullius viſceris laeſione gladio perfoſſus fuit, ita tamen, ut morbo ſuperato ſanus et absque ulla labe ſuperſtes viſus fuerit.

81) *Ex ſimplici contuſione mors* obſeruata fuit ab p. 320.
EODEM. Contra hominis cuiusdam abdomen, paulo infra umbilicum a latere lineae albae calcitrauit equus. Praeter ſugillationem nihil in eo loco viſum fuit. Aſt ſummi ſtatim dolores colici atque horripilationes iſtum corripuerunt. Cunctis tandem remediis incaſſum adhibitis, horisque quadraginta octo elapſis obiit. In cadauere aperto omne abdominis cauum materia quadam albicante, odoris aciduli repletum, et circa ilei principium foramen quoddam oblongum et fiſtuloſum, cuius ora calloſa fuere, reperit Cl. Auctor: Poſt modum in peritonaeo veſtigium ambitus calloſi, cui exacte reſpondit foramen ilei, obſeruauit. Ex his igitur inteſtinum hoc, morbo quondam inflammatorio laborans, cum peritonaeo concreuiſſe, et occaſione huius plagae nunc abruptum fuiſſe, hancque laeſionem, ſi ab homine quodam fuiſſet illata, mortis quidem dediſſe cauſam, mortis autem culpam illi imputandam non fuiſſe, Cl. Auctor ſtatuit.

82) *Vteri*

p. 325. 82) *Vteri haemorrhagia enormis, praeceps exitium minitans, ſanata* fuit a Cl. B. L. TRALLES. Foeminae, quae abortiuerat, aliquot diebus elapſis, ob grauem iracundiam commotae, ſtatim ſanguis tanto impetu ex utero profluit, ut grauiſſimis lipothymiis affecta, mortis fere imaginem repraeſentauerit. Omnia igitur ſpirituoſa exulari iubens Cl. Auctor, frictionibus continuoque ad nares admoto aceto, tandem ex linteo confeſtim formatum peſſum, ſoluto vitrioli marte humectatum, in vaginam intromittendum curauit. Quo facto, ſumma cum admiratione opem mox experiens, foemina ad ſe rediit et plenarie reſtituta fuit. Monet autem Cl. Auctor, eius modi remedium tunc demum adhibendum eſſe, ubi nec fruſta placentae uterinae, nec concrementa polypoſa aut grumi ſanguinis in utero haererent, ſed ſanguis ob dilatata tantum vaſorum oſtiola prorumperet.

p. 336. 83) *Hiſtoriam anginae apoſtematodes anno* 1755. *ab aeſtate ad finem autumni in Rampizenſi praefectura, Neo-Marchiae tractu, prope Francofurtum ad Viadrum graſſantis* tradit Ill. C. A. DE BERGEN. Quantum ex hiſtoria morbi, Ill. Auctori communicata, videre licet, morbum hunc ex impuritate aquarum, ob tempeſtatem diu pluuioſam, hincque ſuccedentem inundationem et ſtagnationem facta ortum, atque eum infantibus in primis lethalem fuiſſe, legimus. Hiſtoriae huius Auctor, aquam nudis oculis inſectis ſcatentem videns, microſcopio dein luſtrans, non ſolum vermiculum anguilliformem, ſed et longe minus inſectum, pulici aquatico ſimile obſeruauit.

p. 339. 84) *De lapidis porcini famoſi inertia, impoſtura ac vi imaginaria meditationes* addit Cl. I. D. SCHLICHTING. Experientia confirmatus Cl. Auctor exempla profert, ubi verus lapis porcinus ne tantillum praeſtitit,

ſtitit, unde eum pro remedio prorſus inerti habendum eſſe colligit.

85) *Hymen prorſus imperuium, menſtruum fluxum diu retardans* IDEM commemorat. Superueniente demum tumore, e genitalibus protuberante atque inciſo, ſanguis ad tres libras effluxit; foemina autem eo dein diſpoſita fuit, ut regularem menſium fuerit experta fluxum. p. 343.

86) Ab EODEM *hymenis coalitus inſolitus, diu et iam poſt operationem factam recurrens* annotatur. Foeminae nimirum, ob hymen clauſum, maritum admittere non valenti, iſtud diſcinditur, quo facto paulo poſt grauida foetum tandem edidit. Elapſis aliquot menſibus idem obſtaculum ſentienti denuo diſcinditur hymen, a quo autem tempore ſalua dein manſit. p. 344.

87) Ab EODEM *tumor abdominis ſtupendus in grauida, hydropem aſciten mentiens, partu feliciter ſublatus* annotatur. Remediis compluribus fruſtra tentatis, foeminae, venae ſectione praemiſſa, ſponte puluerem radicis ialappae ſumenti, indeque crebras alui deiectiones experienti, ingens copia lymphae ad libras viginti e genitalibus profluxit. Ventre dein detumeſcente, tertio die puellam ſanam edidit, atque ſanitati reſtituta fuit. p. 345.

88) *Maniae chronicae et rebellis, ptyaliſmo ſublatae* mentionem facit IDEM. Remediis, etiam audacter adhibitis, ſed cunctis incaſſum tentatis, maniaci caput radi iubet medicus, poſtmodum raſo capiti unguentum mercuriale bis de die affricandum idem curat. Saliuatione igitur excitata, perque aliquot dies continuante, maniacus reſipiſcit, atque priſtino rationis uſu fruitur. p. 346.

89) *De-*

p. 348. 89) *Deſcriptionem globi igniti Wratislauiae obſeruati* exhibet Cl. I. E. STIEF. Igneus iſte globus d. 9 Febr. anno 1750. tempore nocturno, coeloque ſereno obſeruatus, ſenſim ſenſimque deſcendens, omnia, idque eo magis, quo magis deſcendit, illuminauit, poſtmodum in Oderam cecidit, tribusque ſe inuicem excipientibus fragoribus, tonitru ſimilibus diſſiluit.

p. 355. 90) *Dolor acutus, vagus, ſub deglutitione, citra cauſam manifeſtam in pectore ſeſe exſerens, feliciter tandem ſublatus* eſt ab EODEM. Emplaſtrum de melilloto cum diaphoretico MYNSICHTI coniunctum et ſcrobiculo cordis impoſitum, praeter alia interne ſumta remedia, haud leuem opem ad tollendum dolorem praeſtitiſſe videtur.

p. 360. 91) *Vlcera glandis venerea, cum tumore magno inflammatorio et phimoſi enormi coniuncta, feliciter ſanata* fuerunt ab EODEM. Notandum hic eſt, quod aegrotans, vera luè venerea infectus, per totum morbi decurſum uvulam et epiglottidem immunes retinuerit, atque uſurpato mercurio absque ſaliuatione, quam imminentem omni ſemper ſtudio Cl. Auctor auertit, curatus fuerit. Praeter haec omnia iſta mala, quae partes genitales infeſtarunt, ſolis tantum remediis et absque ſcalpello ſublata fuiſſe notamus.

p. 366. 92) *De permagno ſteatomate abdominis XL. fere libras aequante*, mentionem facit Cl. G. C. SPRINGSFELD. Militis cuiusdam abdomen ultra modum diſtentum ac tumidum apparuit, ita, ut filum duarum cum dimidia ulnarum iſtud comprehendere fere non potuerit. Mortuo hoc homine atque diſſecto, ſub umbilico et in hypochondriis corpus magnum ex luteo albicans, omne fere abdominis cauum occupans, atque inteſtina una cum omento verſus ſuperiora di-

mouens

mouens reperiit. Duas quaſi veſicas bouinas, flatu diſtentas, parte laterali compreſſas, et inter ſe inuicem cohaerentes, figura huius corporis aequauit. Subſtantia eius ſeuo ſimilis fuit, hisque corporibus plura minora, partim auellanae, partim iuglandis, nucis magnitudinem aequantia, inhaeſerunt. Sede horum corporum accurate examinata, iſthaec inter duplicaturam meſenterii haerere obſeruantur, unde duas meſenterii glandulas obſtructas iſtis corporibus fundamentum poſuiſſe Cl. Auctor colligit.

93) *Deſcriptionem cancri marini, vulgo Eremitae,* exhibet Cl. F. S. MORGENSTERN. Cancer iſte maris incolis adnumeratus, concham, quod notabile eſt, inhabitat; ex cuius apertura extrema chelarum membra pedumue quatuor anteriorum maiorum propendent. Tabula addita delineationem huius cancri cum habitaculo ſiſtit. p. 375.

94) *De ſeri deſtillatione ex umbilico* non nulla IDEM annotauit. Inter alia mala, quae ſibi ex inconſiderate profligata febre quartana contraxerat aliquis, de exquiſito etiam umbilici dolore conqueſtus fuit, ad quem leuandum, aſſerem querneum ſiccum et calefactum nudo ventri impoſuit, quo facto, ſerum paulo poſt ex umbilico exiit, ita, ut patula umbilici apertura conſpici potuerit. Remediis adhibitis omnia illa mala ceſſarunt, ipſumque etiam umbilici vulnus conſolidatum eſt. p. 379.

95) *Haematocelen* obſeruauit Cl. c. W. SACHSIVS. Cum nulla in tumore ſcroti, monſtroſae magnitudinis, ſigna prolapſorum inteſtinorum animaduerterint medentes, atque remedia fruſtra applicuerint, operationem hinc inſtrumento, *Trois-quarts* dicto, inſtituerunt, quo facto ſanguis craſſus, nigricans, ad integram menſuram effluxit, ſtatimque p. 382.

tumor ſubſedit. Vulnere rite tractato, feliciter reſtitutus fuit aegrotans.

p. 384. 96) Ab EODEM *hydrops anaſarca, ex corrupta febre quartana, in grauida, cum ſubſecuto ſphacelo circa genitalia, cortice peruuiano ſublatus* eſt. Notatu dignum eſt, quod foemina, malis hiſce durantibus, partum licet imbecillum, aſt viuum tamen, feliciter et absque dolore ediderit, atque elapſis aliquot menſibus priſtinam ſanitatem recuperauerit.

p. 386. 97) *Maculae ſcorbuticae ſingularis indolis in vetula et puero* ab EODEM annotantur. Maculae in foemina obſeruatae, colore roſeo praeditae, undiquaque ſeſe diffuderunt, quarum non nullae ſanguinem purum plorarunt. Eae autem, quae in puero apparuere, iſtis quidem ſimiles fuerunt, ſanguis autem non exiit. Vtrisque aegrotantibus maxime profuerunt antiſcorbutica.

p. 388. 98) IDEM *febrem continuam in quintanam intermittentem mutatam* digeſtiuis, laxantibus ſtomachicis diapnoicis et cortice peruuiano curauit.

p. 389. 99) Ab EODEM denique *catalepſis, triduana febri continuae ſuperueniens* annotatur. Die nimirum febris undecimo acceſſit catalepſis per tres dies durans omnibusque remediis reſiſtens; tertio die elapſo ſponte ad ſe rediit foemina et febris, quae per hoc tempus ſopita quaſi fuit, denuo rediens et ad viceſimum octauum uſque diem durans tandem debellata fuit.

p. 391. 100) *Sectio anatomica, poſt fata ſuprema Eminentiſſ. ac Celſiſſ. Principis, Domini Franciſci Georgii, Archiepiſcopi et Electoris Treuirenſis, reliqua. ann. MDCCLVI. d. XVIII. Ianuar. pie defuncti, inſtituta,*

iuncta

iuncta simul praegressorum morborum, historia literis consignata a Cl. S. E. E. COHAVSEN. Principis huius, febre lenta defuncti, corpore, anatomice dissecto, hinc et illinc in primis in intestinis et pulmonibus dispositio gangraenoso-putredinosa reperta, hisque omnibus rite disquisitis, corpus ad condiendum praeparatum dein fuit. Vita huius Principis prolixe descripta, morbisque, quibus afflictus fuit, insimul notatis, tandem formulae apponuntur, quibus praeparatio remediorum ad condiendum corpus usurpatorum continetur.

101) *Obseruationem Cedri montis Libani characteres cum illis Laricis, Abietis Pinique comparatos, sistentem* communicauit Ill. C. I. TREW. Quo in designandis coniferarum harum arborum characteribus botanicis certi quid constituere potuerit, Laricem ea propter, Abietem et Pinum, examinauit, quo facto, sequentia annotandi occasionem nactus est: Omnium nimirum dictarum specierum aeque ac Cedri iulos et conos in eadem stirpe, locis tamen distinctis excludi, omniumque iulos seu amenta eadem gaudere figura et structura reperit. Omnium dein conos ex squamis componi, uni axi per gradus affixis, et singularum binos scrobiculos ad unguem earum superficiei superiori seu interiori impressos fouere duo semina, itidem reperit, quoad coni vero figuram differentiam aliquam obseruauit. Tandem et characteris meminit, quem notatu dignum esse dicit. Cedri nimirum et Pini squamam ad singulos flores femineos seu seminum embryones binos simplicem tantum esse, Laricis vero atque Abietis duplicem, alteram internam et ampliorem, semina immediate ambientem ac tegentem; alteram externam et angustiorem, interiori proxime adstantem annotauit. Characteribus hisce disignatis, uberiorem Cedri historiam ex relationibus itinerariis tradit, auctorumque in hac p. 409.

re differentias, inque nominibus huius arboris variantes notat. Integra arbor Cedri atque partes fructificationis cedri laricis et abietis, adiectis iconibus, illuſtrantur.

p. 437. 102) *De femellae per marem foecundatione in plantis, Napaeae exemplo confirmata obſeruationem* addit IDEM. Huius nimirum plantas mares iuxta femellas plantandas curauit Ill. Auctor. Cum autem tranſplantatae maſculae plantae nullum produxerint ſcapum florentem, femellas inde una cum fructus rudimentis deieciſſe flores, obſeruauit. Altero autem anno maſculae, dum floruerunt, femellae etiam florentes grauidae factae fuerunt, maturique eis ſuceſſerunt fructus. Ex his igitur ad foeminarum foecunditatem maris omnino requiri acceſſum, femellamque ſemel foecundatam non ſemper ita manere, ſed omni anno maris acceſſu opus eſſe colligit.

p. 441. Quibus de ſexu plantae huius praemiſſis, ipſius dein Ill. Auctor addidit accuratiorem delineationem aeque ac deſcriptionem. Nondum enim cognita ſatis inter botanicos neque deſcripta fuit eadem, praeter Ill. LINNAEVM, qui primus Napaeae nomine eam ut plantae genus diſtinctum definiit, et dexterrimum EHRETVM, qui eius nitidam delineationem exhibuit viuis coloribus illuſtratam. Quam Noſter iam proponit, eſt illa ſpecies, quae *Napaea pedunculis nudis laeuibus, foliis glabris, floribus hermaphroditis* LINN. Spec. Plant. p. 686. n. 2. dicta fuit, et ab hoc ipſo demum ad Napaeae genus relata, olim HERMANNO Althaea virginiana ricini folio appella-
p. 442. ta atque pro androgyna habita. Floris character ſequentem in modum traditur: I. *Maſculini floris* calyx *eſt monophyllus, urceolatus, patens, quinquefidus, limbo reflexo, perſiſtens.* Corolla *monopetala, ad cylindrum uſque quinquefida, patens;* ſegmenta *oblonga ex anguſta baſi in orbiculum interius concauum cum mar-*

gine

gine integro expanſa. Staminum *columna cylindracea ſolida, erecta, calyce longior, cuius ſummitatem obſident ſtamina multa, quorum* filamenta *breuia ſubulata;* antherae *exiguae, oblongae, compreſſae, didymae, verſatiles;* ſtyli *et* germen *nulla.* II. *Feminini floris* calyx *ſimilis, magis tamen oblongus;* corolla *ſimilis, paullo maior;* ſtaminum *columna cylindracea inferius ampla, ſuperius anguſta, calyce longior, intus caua;* antherae *ſpuriae globoſae ſine filamentis genuinis oram columnae ambientes;* ouarium *conicum cum ſeptem* ſtylis, *quorum* ſtigmata *ſimplicia;* fructus *orbiculatus compreſſus, umbilicatus, ex ſeptem octoue loculis membranaceis ſuperius criſtatis compoſitus;* ſemina *ſolitaria reniformia.* Quod reliquas plantae partes attinet, radi- p. 443.
ces *plures, longae, carnoſae, extus flauae, intus candidae, mucilaginoſae in unum caput coeunt, e quo prodeunt* folia radicalia *petiolata, digitata, ampla, ſuperius viridia, ſubtus pallida, ſcabra ubique, ad pediculum fere diuiſa, diuiſionibus ſingulis iterum in lacinias plures ſubdiuiſis;* pediculo *longo, ſtriato, ſubhirſuto;* caules *florigeri membranaceo velamine tecti, numeroſi, ſtriati, ſubhirſuti, per interualla* foliis *inſtructi ſimilibus radicalibus,* ſed *ſenſim minoribus pediculisque itidem breuioribus, ante excluſionem ſub inuolucro latentibus; ex foliorum alis tandem ſurgunt* pedunculi *floriferi caulem ramoſum reddentes, eosque claudit* florum *copioſorum umbella.*

103) Ab EODEM *plura* etiam *exempla palati defi* p. 445.
cientis annotantur, quorum unum delineandum curauit.

104) IDEM tandem ultimam obſeruationem ad- p. 448.
didit, *quaedam ad Pelecani ſeu Onocrotali auis hiſtoriam pertinentia continentem.* Concernunt autem additamenta iſta obſeruationem 69. ſuperius p. 284. ab Ill. de FISCHER communicatam. Illuſtrationis gratia

tia hic ab Ill. TREW auctores, qui de hac aue ſcripſerunt, citantur, ſententiae eorum variantes conferuntur, huiusque tandem auis caput, quod una cum aliis naturalibus a Cl. Auctore adſeruatur, deſcribitur, et icone exhibetur.

In Appendice reperiuntur,

p. 1. 1) *Commentatio de thermometris menſurae conſtantis, quondam ſeorſum publicata nunc ſecundis curis reuiſa et reformata.* Auctore Ill. C. A. DE BERGEN. Ad conſtruenda thermometra requiritur vitreus cum annexo globo tubus, cuius craſſities inter ſuperficiem externam et internam unam lineam pedis Rhenani non excedit; cauitas autem diuerſa eſſe poteſt, prout nimirum magnitudo vaſculi aut liquor plus minusue expanſiuus aut uſus eiusdem hoc poſtulat. Sufficit tamen ad mercurialia thermometra cauitas, quae craſſiorem chordam metallicam pro clauichordiis uſitatam capit. Longitudinem tubi capacitas ſphaerae determinat. Fluidum, quo thermometra replentur, vel ſpiritus vini vel mercurius ſuppeditant, hic autem omnibus praeſtat, manet tamen et ſua laus ſpiritui vini. Ad modum, replendi vitra, variis cautionibus opus eſt, quae ab Ill. Auctore fuſe recenſentur. Tandem ad ſcalae formationem, quae in puncto congelationis et ebullitionis aquae conſiſtit, accurata etiam traditur inſtructio. Cunctis his rite et prolixe expoſitis, tandem etiam varius thermometrorum uſus annotatur, qui non ſolum phyſicus et chemicus, ſed etiam medicus depraedicatur, ita, ut ad promouendam ſcientiam naturalem thermometra haud leuem opem praeſtare inde videantur. Thermometrum ſiſtitur delineatione.

p. 49. 2) *Commentatio de ſcarificatione gingiuarum.* Auctore Cl. W. T. RAV. Primo capite hiſtoriam huius opera-

operationis tradit Cl. Auctor, ſimulque exponit, quod antiquiſſimis iamque HIPPOCRATIS temporibus ſcarificatio in uſu fuerit, poſtmodum etiam declarat, in quibusnam morbis et quibus inſtrumentis iſthanc ſuſceperint, tandem ad recentiores reſpiciens eos in primis commemorat, qui de hoc auxilii genere accurate commentati ſunt. Capite ſecundo de ſcarificatione gingiuarum in ſpecie agit. Hanc et veteribus iam uſitatam fuiſſe, ex PLINIO notat, atque recentiorum in primis HOFFMANNI, HEISTERI et VALENTINI, qui eam in gingiuis ſuſcipiendam commendarunt, meminit. Quod inſtrumenta, quibus iſthaec peragitur, concernit, inter alia multa, quae maximam partem reiiciuntur, ſubtiliores illae ſecalis glumae laudantur, de quibus Cl. Auctor dicit, quod ſecure et optimo cum fructu hic in uſum cedant, atque modum ſcarificandi deſcribens cautiones ſubnectit, ſub quibus iſta operatio ſuſcipi debeat. Tertio tandem capite uſum ſcarificationis recenſens, iſta in odontalgia, in parulide, quae tuberculum eſt dolens et tumens ex increſcente inflammatione iuxta dentes natum, porro in infantum dentitione difficili, quae autem inſtrumento chirurgico peragitur, atque in ſtomacace demum, nec non gingiuarum aphthis, multum praeſtare, Cl. Auctor oſtendit.

3) *Commentatio de inſtrumentorum in arte obſtetricia hiſtoria, utilitate et recta ac praepoſtera applicatione.* Auctore Cl. H. I. N. CRANTZ. Veteres, qui et in arte obſtetricia nec hoſpites plane fuerunt, inſtrumentis quoque et in primis unco, uncino aut ſcalpello vel etiam perforatorio partum promouere, anniſi ſunt. Licet autem haec inſtrumenta primo tantum ad foetum mortuum extrahendum adhibuerint, attamen non multo poſt, ad omnem partum difficilem eadem applicandi, mos etiam inualuit, unde igitur factum fuit, ut multi infantes vitam amiſerint p. 73.

ſerint, qui tamen ſeruari omnino potuiſſent. Operationes itaque veterum ut plurimum crudeles fuiſſe, Cl. Auctor oſtendit, hasque ideo repudians inſtrumenta eorum maximam quoque partem reiicit. In primis uncos ac perforatoria et hodie damnat, haecque tamen non in uniuerſum reiiciens, uncos non niſi in caſu relicti in utero corporis, capite ab hoc auulſo, aut capitis craſſi nimis etiam alio inſtrumento comminuti conuenire, in aliis autem caſibus nunquam adhibendos eſſe, declarat. Eodem etiam modo perforatoria reiiciens, eis in caſu, ubi grandior capitis moles per peluis aperturam educi nequit, utendum eſſe, praecipit, cultrosque ſcindentes ad membri cuiusdam ſeparationem deſtinatos, ob euitandum periculum, prorſus exulare iubet. Inter inſtrumenta vero, quorum uſus valde proficuus aeſtimatur, forcipes multum valere Cl. Auctor aſſerit, atque inter omnes, quarum mentio hic facta eſt, Leuretianam forcipem in primis laudat, quod in pluribus caſibus imo in omnibus fere, ubi unci et perforatoria male applicantur, tuto adhiberi effectumque deſideratum praeſtare poſſit. De forcipum igitur utilitate atque praeſtantia Cl. Auctor certiſſimus in eos etiam inuehitur, qui male de iisdem ſentiunt, in primis Cl. ROEDERERVM taxat, in quem vero paulo nimis iniurius eſſe videtur. At, forcipum in arte uſum uniuerſalem non eſſe Cl. Auctor autumat, quapropter eos caſus notat, ubi iſtae applicari nequeant. Tandem et ſectionis caeſareae meminit, cuius utilitatem non adeo ſolide, ut multi gloriati ſunt, comprobatam eſſe opinatur.

p. 139. 4) *Diſſertatio, in qua ſententia, de differenda hydropicorum morte per efficaciſſimam ſcillae virtutem tribus obſeruationibus euincitur.* Auctore Cl. G. SCHWSTER. In tribus hiſce ſubiectis, quorum morbi hiſtoriam prolixe deſcribit Cl. Auctor, ſcillae radicem

in

in larga doſi exhibitam bonum quidem effectum praeſtitiſſe, aegrotantes autem omnes poſt aliquot tempus obiiſſe, legimus.

5) *Meditationes, de viribus hypnoticis a minerali regno haud alienis.* Auctore Cl. I. C. IACOBI. Quo medicamenti hypnotici ex regno minerali petiti praeparatio clarior euadat, regnum ea propter vegetabile prius intrat, hincque vegetabilia, tali vi praedita, diſquirit, qua diſquiſitione facta, vim eorum hypnoticam in volatili illa parte phlogiſta conſiſtere, demum reperit. Cum itaque regnum minerale corporibus, phlogiſto copioſo praeditis, abundet, ex hiſce etiam phlogiſton ſeparare, anniſus eſt, mănuque demum admota tale etiam remedium inuenit, quod non narcotica et ſtupefaciente, ſed vera hypnotica vi gaudeat. Huius praeparatio ſequens eſt: ſulphur aqua calcis viuae aut ſalibus alcalinis ſoluitur, huic ſolutioni inditur mercurius, poſtmodum autem acidum, quod appropriatum dicit, affunditur, quo facto ſulphur liberatum et attenuatum fundum petens cum volatili mercurii parte, quae terra tertia eſt, quaue mercurius abundat, arctum connubium init atque medicamentum ſiſtit, quod Cl. Auctor in multis caſibus tanquam hypnoticum verum feliciter adhibuit. p. 163.

6) *Mercurii ſophici delaruati ex Philalethae introitu aperto ad occluſum regis palatium in conſpectum chymicorum prodeuntis, ſiue Commentarii decem prima obſcuriſſima illius Auctoris capita de mercurii ſophici praeparatione per ignem dilucidantis.* Auctore Cl. I. H. COHAVSEN. Cum PHILALETHA admodum parabolice locutus ſit, multique hinc, capita haec explicantes, ſeduci facile poſſint, ſenſum ea propter litteralem Cl. Auctor exponit, ita, ut obſcurae quodammodo patefiant viae. p. 189.

Tandem his cunctis vitae clariſſimorum quorundam virorum 1) ABRAMI VATERI una cum eius icone, 2) CHRISTIANI GOTTLIEB SCHWARZII. 3) IOANNIS DAVIDIS KOELERI. 4) FRIDERICI CHRISTIANI LESSERI. 5) GEORGII EHRHARDI HAMBERGERI ſubnectuntur.

XVI.

Diſſ. inaug. de Pleuritide vernali et aeſtiua. Praeſide. D. IO. GODOFR. BRENDELIO. Reſp. *Philip. Henr. Wedemeyer.* Gottingae, 1756. 4. pl. 4½.

Praemiſſa definitione pleuritidis, huicque ſimilium morborum, illorumque differentia conſtituta Cl. Auctor *νῦν ἐν ἀγιοις*, locum in illis morbis affectum diſquirit, exemplaque non nullorum ab ipſo obſeruatorum aegrotorum et poſt mortem inciſorum adducit; ſpeciale tunc diſcrimen, quod pleuritidem et peripneumoniam hibernalem inter et aeſtiuam intercedit, accuratius indicat; vernalis denique et aeſtiuae pleuritidis ſymptomata et ſigna copioſius, cauſas vero et curationem breuius, perſequitur.

Pleuritidem vero generatim ſumtam febrim nominat acutam cum pulmonum thoracisue inflammatione. Diuidit illam, more conſueto, in veram et ſpuriam; deinde in humidam et ſiccam; illa ipſi eſt pleuropneumonia, haec vero pleuritis ſtricte ſic dicta. Peripneumoniam autem vix umquam, certe rariſſime, idiopathicam, ſaepius ſymptomaticam, eſſe credit, variolis, morbillis, purpurae, haemoptyſi, phthiſique pulmonali, accedentem, quo propius a
p. 3. vitae fine abeſt aeger. Peripneumonia notha, quae vera frequentior deprehenditur, *non inflammatio, ſed ſingularis quaedam per omnem pulmonis ſubſtantiam cruoris*

cruoris effuſio eſt, haud quidem in ipſas pulmonum veſiculas, ſed in interſtitia veſicularum celluloſa. In hoc itaque morbo nulla tuſſis cruenta, nec dolor acutus, ſed grauatiuus eſt, nec ex dolore, ſed ex pondere, quod denique grauiſſimum, et inde oriunda anxietate, reſpiratio vel prorſus tollitur, valde certe impeditur, cum pulſu paruo et tremulo ob denegatum ſanguinis ex arteriis pulmonalibus per venulas pulmonales ad auriculam cordis poſteriorem iter. Locum, ubi morbus hic haerere ſolet, multo frequentiſſime eſſe pulmones, rarius pleuram, Auctor aſſerit copioſeque ex HIPPOCRATE conuincere ſtudet. p. 5.

Sectiones quoque anatomicas recenſet duas ex pleuritide ſicca demortuorum, quorum neuter in acuto ſtadio, ſed alter decima octaua, alter quadrageſima hebdomade, uterque vero febri lenta et empyemate confectus fuit, alter quadragenarius, alter vero puer duodecim annorum. Vidit in his pleuram ſpatioſo ambitu veſicis obſitam ulceroſis maioribus minoribusque, collectumque pus inter pleuram et muſculos intercoſtales internos. Seceſſerat pleura a coſtis plurimis in locis, et ſingulari modo fabrica eius mutata ad minimi digiti craſſitiem increuerat ita, ut illa in bracteolas ſolui potuiſſet. Nulli pulmones inſigni affecti erant labe, exceptis non nullis leuioribus vomicis, alio a morbo ſuperſtitibus. Siccae ſanatae quoque pleuritidis exemplum Auctor adducit. Puero decem annorum, pleuritide hac laboranti, tandem morbus abſceſſu ſoluebatur ad coſtam quintam, ſextam et ſeptimam, facto, qui deinde inciſus, emiſſo pure, foueam inſignis duritiei craſſitieique exhibebat, cuius, ſi ſpecillo fides habenda eſt, ad cauitatem thoracis plane nulla erat apertura.

Pleuritis vero et peripneumonia vernalis et brumalis maxime a ſe inuicem vel febre ipſa, vel ſymptomatibus, et criſium euentu differunt: Symptomatibus p. 11.

bus differunt pleuritides hibernae, quod oriantur cum algore graui, imo rigore coniunctis mox signis pleuriticis, deinde algorem sequatur aestus ei respondens, declinetque prima exacerbatio haec ea lege, *ut reliquus febris pro stadii acuti modo decursus, remittentem quidem quotidianam, sed alternis diebus grauiorem, exprimat, id est, typum quendam quotidianum ex tertiano*, et denique quod quoad sputum, tussim, dolores, cet. aequabilius hae procedant: Ratione crisεos, quae vel perfectior per sudores et urinam, vel imperfectior per abscessus externos, per sanguinis fluxus, diarrhoeas biliosas, febres intermittentes, purpuram aut acutam aut chronicam, interdumque per affectus cutaneos deprehenditur.

p. 14. In vernalibus vero aestiuisque magna est suspicio malignitatis, quam lassitudo, animi deiectio, capitis dolores, oculorum, colli, dorsi, lumborum et artuum torpor, somni cupido corpus non reficiens, sudores inconstantes, horripilationes, sternutatio, guttulae sanguinis ex naribus aliisque ex locis profluentis paucae, dolores ventriculi intestinorumque, nausea, vomituritio, aluus vel sicca, vel lubrica, spumosa foetidissima, urina vel aquosa, vel biliosa statim ab morbi initio cum sedimento copioso, color faciei mutatus, manuum, digitorum, frontis et palpebrarum inferiorum emphysema, sopor aliqualis et stupor, lingua arida, palati siccitas et durities, icterica in apicibus digitorum, volis manuum canthisque oculorum vestigia, pectoris constrictio et similia satis superque commonstrant.

Satis verbose nunc omnia ad pleuritidis vernalis et aestiuae, quam epidemice saeuientem obseruasse ipse Auctor videtur, historiam pertinentia momenta allegat et disquirit, quae cum omnia adducere nolimus, praecipua adduxisse sufficiant.

p. 18. Cum horrore et rigore haec febris oriebatur, quae saeuitie non adeo insignis, nec eius aestus minus,

mius, deprehendebatur; pulſus quidem celerior, debilior tamen, durior, ſpaſticus, mox ſub algoribus dolor acutus vel in pectore vel ad ſcapulas clauiculasque, tuſſis cum ſenſu conſtrictionis praecordiorum; ſputa ſpumoſa bilioſa, non raro ſubcruenta, interdum lurida et ex muco tenaci globulorum ad inſtar reiecta, quae quidem non raro tabem imminentem praeſagire videbantur. Plerisque thorax, abdomen et hypochondria immodice, ſubalgidis extremis aeſtuabant. Sanguis e vena emiſſus primis diebus ſano ſimilis, poſtea coccineus, ſiccus, ſuperficie ex coagulo nitente aut ſero bilioſo abundabat. Febris ipſa parua plerumque erat: ex horroribus aeſtubusque ſeſe inuicem excipientibus paruae quaſi febriculae irregulares oriebantur. Accedebant etiam deliria mitiora, taciturna, atrabilaria, nec non interdum furioſa. Sputa modo felicius, modo minus procedebant; dolores quoque interdum euaneſcebant, quibus deficientibus ſuccedebat difficultas urinae, quae miſſa denique ſpaſticas illas exhibebat pelliculas. In thorace interdum quoque dolores mitigati videbantur, aliis excitatis in femoribus et tibiis imo et in inteſtinis abdominalibus. In his breuius erat inflammatorium ſtadium, quam in brumalibus febribus.

Sputi reiectio parum leuaminis, paruamque, vel nullam, criſin et ſudor et urina afferebat: Aliis morbus ſolutus fuit plane nullis, aliis aegris partialibus ſudoribus. In ſudore uniuerſali urinae crudae, ſine ſudore coctiores erant. Qui diutius laboraturi morbo videbantur, illorum una eademque urina duplici imo triplici vice praecipitabatur ſedimento, cuiuslibet colore a ſe inuicem diuerſo. Quibus vero urina poſt primam praecipitationem lacteſcebat, deinde album et denique limoſum ad fundum reddebat ſedimentum, illi ſerius et niſi per metaſtaſes, conualeſcebant. Peſſima urina, quae fulua micta liueſcebat cum ſedimento rubello. Alui excrementa liquida

ſpumoſa

ſpumoſa foetidiſſima, ramentis quaſi membranarum
p. 23. erant mixta. Sternutationes frequentiores in hac pleuritide erant, quam in hibernali; ii quidem, quibus contingebant, difficilius ad ſanitatem redierunt. Duae abortierunt grauidae, haud dubie per motum metaſtaſeos ſpaſticae; alia foemina, prius, quam pareret, morbo hoc correpta, mortuum deinde in lucem edebat foetum. Omnibus praeter naturam in hoc morbo umbilicus erat conuulſus et introrſum retractus. Hi morbi imperfectis criſibus ſoluebantur per varias metaſtaſium formas, illas etiam, quas de pleuritide hibernali diximus; ſimiles alias vero ſequebantur febres lentae, tuſſis diuturna, oculorum auriumque affectiones periodicae, urinae difficultas, haemorrhoides mucoſae cet.

p. 27. Non ſolam tempeſtatem gelidiorem, ſed potius leniſſimam hiemem cauſam huius mali eſſe credit Auctor. De curatione dum breuiter agit, duo tantum adducit momenta; alterum venarum brachii ſectionem, ſine lateris delectu, pro ratione quoque repetendam, alterum, quod miramur, vomitorium ex Ipecacuanha, quod quidem medicamentum multis argumentis innoxium et ſalutiferum hoc in morbo reddere ſtudet, quibus vero nos haud conuictos eſſe ingenue fatemur.

XVII.

XVII.

Der medicinischen Societaet in Budissin Sammlungen und Abhandlungen aus allen Theilen der Arzneygelahrheit. Altenburg, in der Richterischen Buchhandlung. 1757. 8. 1 Alph. 11 pl.

h. e.

Societatis medicae Budissensis tractationum ex omnibus artis medicae partibus desumtarum collectio.

Quae per aliquot iam decennia coiit Budissae, quae urbs haud incelebris caput est Lusatiae superioris, medica Societas, ea nunc demum suos luci exponere publicae censuit labores, qui libro iam indicato continentur, cuius rationem erimus reddituri, si antea non nulla de societatis huius historia praefati fuerimus. Optaremus quidem, ut huius voluminis editores de historia et fatis societatis scitu necessaria in praefamine aliquo nobiscum communicassent; sed, cum id iis non placuerit, nosque multis de rebus ad societatem pertinentibus v. c. quo tempore prima illius iacta fuerint fundamenta? utrum volumen hoc omnes aut non nullos tantum contineat eius labores? an hoc sequutura sint alia e. s. p. in dubio reliquerunt, ea tantum, quae coniiciendo deteximus, breuiter indicamus.

Constitutam ergo societatem hanc a medicis Budissae artem, suam exercentibus anno seculi, quo viuimus, decimo quarto fuisse, partim ex catalogo virorum in societatem receptorum, partim ex casibus medicis exhibitis colligimus. Id vero vel maxime sibi agendum sumserunt viri isti, ut quolibet in conuentu proponerent casus clinicos, de illis disputarent, de natura et indole morborum, vel in primis epidemicorum contagiosorumque, cum forte obuenerint,

nerint, iudicarent, iis occurrendis profligandisque methodos ſtabilirent aptas, ſingulares notatuque dignas res naturales earumque phaenomena inquirerent, et ſi quid a quodam ſocietatis membro propoſitum vel elaboratum fuiſſet, litteris mandarent, eo tunc temporis conſilio, ut forte aliquando haec per vices conſcripta et ſocietati exhibita colligi, inque publicum edi poſſent. Membra autem, quae ſocietatem hanc conſtituerunt et adhuc conſtituunt, non ſolum medici fuerunt Budiſſae artem facientes, ſed et aliis ex urbibus et quidem propinquioribus, in ſocietatem recepti fuerunt, ea tamen lege, ut quilibet extraneus a Senioris et Adiuncti munere eſſet excluſus. Stabilita ſocietate, eius ſodales deinde leges ſanxerunt, quibus quemlibet in ipſam recipiendum ſe obſtringere oportet, quas etiam anno quarto et viceſimo huius Seculi Potentiſſimus Poloniarum Rex et Saxoniae Elector, Dominus noſter indulgentiſſimus auctoritate ſua et priuilegio munire et confirmare haud dedignatus eſt.

Ipſius vero libri iam iam indicati ea eſt ratio, ut, praemiſſis litteris regiis et legibus a ſocietate conſtitutis, nullo et temporis et rerum habito ordine, ſuccedant elaborationes obſeruationesque, quae ex medicina, partim clinica, partim conſultatoria, partim legali, ſunt deſumtae, paucis exceptis aliis thematibus e. g. analyſi antimonii diaphoretici: diſquiſitione naturae opii, eiusque cum aliis medicamentis narcoticis comparatione: de recrementis partium ſolidarum corporis humani viui. De medicina clinica variae exſtant in hoc libro obſeruationes lectu dignae, licet negandum non ſit, varias quoque adiectas eſſe, quas partim ob haud congruam et inſufficientem enarrandi rationem, partim ob medendi methodum non ſolum morborum cauſis interdum non ſatis accommodatam, ſed etiam nimis prolixam, nimiamque medicamentorum farraginem exhibentem, non

tanti

tanti futuras eſſe uſus, credamus. Iis in ſectionibus, quae ad medicinam conſultatoriam pertinent, inuenies conſilia non ſolum a ſocietate hac, ſed etiam a variis magni nominis medicis, F. HOFFMANNO, STAHLIO, RICHTERO, IVNCKERO, etiam ab academicis medicorum ordinibus, Lipſienſi, Halenſi et Francofurtano, exhibita; quod quidem inſtitutum ex noſtro iudicio non omni caret laude, cum ex varia attentione, qua quilibet morbum eundem conſiderauit, iunioribus medicis diſcendi naſcatur copia, in morbo diiudicando non ad unicum, ſed ad varia, interdum e contrario ſibi oppoſita, eſſe reſpiciendum; quod eo facilius fieri poſſe arbitramur, cum de uno eodemque morbo ſaepe quinque, etiam ſex a diuerſis locis reperient conſilia accepta. Illae tandem ſectiones, quae ad medicinam legalem referendae ſunt, eodem fere modo, ac praecedentes ſunt comparatae, ita, ut ex non nullis plus, parum ex aliis profecturum eſſe opinamur utilitatis.

Ob inſignem ſectionum copiam, inter quas variae nullius, certe parui momenti deprehenduntur, quas adeo lectores noſtros ignorare nihil refert, cum adducere nolimus omnes, ſpeciminis loco non nullas alicuius forte fructus eligamus.

N. V. Obſeruatio anatomica, *cerebrum extra cranium* ſiſtens. Auctore D. IOANNE GEORGIO THAMM, anno 1715. Foemina, cui praegnanti menſe grauiditatis octauo vaſe aliquo percuſſum fuerat abdomen, die ſequenti geminos peperit, quorum alter formae naturalis et pulchrae vita per horulam fruitus, alter vero ex tumore inſigni capiti inſidente monſtroſus natus eſt. Quo vero pateret, tumor ille an ex illa percuſſione abdominis enatus eſſet, infantis illius ſectio anatomica inſtituta fuit, qua totum cerebrum cum ſuis integumentis et vaſis ex ſitu ſuo naturali ſuper fontanellam pulſatilem extra cranium p. 32.

nium protruſum eſſe, duramque matrem cum capitis integumentis externis communibus arcte cohaerere, fuit detectum. Totum cranium nullam formauerat thecam, ſed planum erat atque compreſſum, omnesque in illo repertae ſuturae, quae tamen in infantibus recens natis vel nullae vel exiguae et laxiores eſſe ſolent, tam arcte inter ſe inuicem connexae, ut magna vi vix ac ne vix quidem diſtrahi poſſent. Ad huius rei rationem inueſtigandam notari meretur, patrem huius infantis ſimilis figurae tumorem praternaturalem in ceruice habuiſſe.

p. 43. No. X. *de inſigni procidentia oculi.* Auctore DANIELE PRAETORIO, ann. 1715. Triginta annorum vir in lino praeparando occupatus, a feſtuca quadam lini in oculo dextro ita laeſus fuit, ut omnem amitteret oculus ille videndi facultatem; nihilo minus per totos octo annos ſine ullo accedente peiori ſymptomate negotiis valuit vacare ſuis. Rumore autem de praeſtantia et inſigni aquarum medicatarum Miſenenſium virtute ad illum accedente, ad viſus facultatem ſibi reconciliandam ipſe illis uti commotus fuit, quarum vero uſu, tempore autumni inchoato, oculus coecus intumeſcere et inflammari, ager hemicrania eiusdem lateris et febri irregulari lenta vexari, deinde oculus protrudi coepit, qui ſpatio decem hebdomadum ita increuit, ut anſerini oui magnitudinem ſuperaret, extraque orbitae cauitatem pendens ipſum naſi orbiculum attingeret. Nunc, cum antea oculus valde doluerat, omnis euanuit dolor, acceſſerunt animi deliquia et alter quoque oculus ex conſenſu priuatus eſt lumine, aegerque die viceſimo ſecundo menſis ianuarii diem obiit ſupremum. In oculo poſt mortem inciſo omnia ſphacelo ita corrupta apparuerunt, ut ne una vel altera quidem oculi pars a ſe inuicem diſtingui poſſet.

N. XIV. *de dyſenteria epilepſiae nocturnae inuetera-* p. 51.
tae ſuperueniente critica. Auctore Eodem. Generoſa foemina ante quinquaginta annos nata, annos viginti plus epilepſia laborauerat ita, ut qualibet hebdomade ſemel et quidem ſemper tempore nocturno, paroxyſmo iſtius morbi tentaretur. Nec medicamentis aptis et copioſe ſumtis malum hoc profligari potuit. Tempore vero quodam illa incidit alium in morbum, in dyſenteriam tunc temporis epidemice ſaeuientem. Haec medicamentis tractata abſtergentibus morbum priorem, epilepſiam, ita abſtulit, ut foemina iſta, licet poſt haec decem vixerit annos, ne una quidem vice morbum iſtum denuo experta fuerit.

N. XXI. *Tuberculi haemorrhoidalis infelix per in-* p. 90.
ſtrumentum inciſio. Auctore GOTTLIEB BVDAEO, anno 1716. Vir generoſus quadraginta annorum, temperiei ſanguineae, et qui optimae ſanitatis ſpeciem huc uſque prae ſe tulerat, doloribus corripiebatur ex haemorrhoidibus coecis ortis. Externe apparebat tuberculum in ano ceraſi magnitudine, cui chirurgus quidam vulnus infligebat lanceola, ex quo parum ſanguinis ſpiſſi effluebat. Statim vero ac tuberculum inciſum erat, derepente illud retrahebatur in anum, et aeger magnis in hoc et in ipſo abdomine affligebatur doloribus, qui in dies aucti totam deinde regionem lumbarem occupabant. Ex inteſtino recto ad deponendas faeces ſemper irritato, primum parum ſanguinis, aliquot diebus poſt pus ipſi admixtum exprimi aegre poterat. Tenesmus hic cum excretione puris ſanguinisque, qui die noctеque aegrum excruciabat, per quatuor integros annos iam durauerat, nullis remediis, quorum magna applicata fuerat copia, cedens. Tandem cum ab omni ſpe perfectae ſanationis deiectum ſe videret aeger, omnibus aliis ſepoſitis remediis, clyſteres tantum temperantes,

rantes, demulcentes opiatosque ex lacte, in quo ferrum candens extinctum erat, ex terebinthina veneta cum ouorum vitello melleque rosato soluta, additis interdum oleo verbasci et hyperici nec non momordicae infuso, in usum vocabat, quorum applicatione ad duas tresue horas utplurimum sentiebat leuamen. His clysteribus licet tunc demum, ubi dolores et tenesmum tolerare ulterius non poterat aeger, uteretur, dictu tamen fere incredibile est, illi per quatuor annos bis mille plus clysteres iniectos fuisse. Sub finem incidit aeger in febrim lentam cum hydrope coniunctam, quae vitae eius ad secundum et quinquagesimum annum productae finem fecit.

XVIII.

IACOBI PLACENTINI Theoreticae Medicinae in Gymnasio Patauino Profess. Prim. Dissertatio de Vena, quae in morbis particularium partium corporis sit salutarius incidenda. Examinantur tum sententiae Graecorum tum Arabum, tum eorum rationes, qui utrosque tutati sunt. Patauii, typis seminarii. MDCCLVI. Apud Ioannem Manfrè. 4. mai. pl. 19. tab. aen. 1.

Vtrum perinde sit, venam quocunque in loco in quolibet morbo secare, an potius conferat locum certum quendam eligere, et quis vel maxime locus prae aliis in hoc vel illo morbo sit praeoptandus, dubia quaestio fuit, quae ab inde HIPPOCRATIS temporibus per tot saecula a plurimis exagitata, nondum solui potuit. Ab aliis hoc, illud ab aliis, ab utrisque quodlibet haud contemnendis rationibus fuit defensum, ita, ut et perspicacissimi medici dubii haeserint, ad quorum partes esset transeundum. Non super-

ſuperuacaneum itaque Cl. Auctor ſuſcepit laborem, qui magno ſtudio litem hanc arduam et difficilem componendi fecit periculum. Eam vero Cl. Auctor in hac quaeſtione perueſtiganda ingreſſus eſt viam, ut in praefamine breuem huius litis praemittat hiſtoriam, in parte deinde priori ſententias Graecorum et Arabum, utrorumque aſſeclarum, adducat, easque inter ſe inuicem comparet: poſtea in partis poſterioris capite primo ipſius rei naturam curatius inquirat, argumentisque in capite ſecundo ab experientia rationibusque hygraulicis petitis, quid ipſi a vero parum abeſſe viſum fuit, corroboret, denique in capite tertio et quarto in non nullis morbis uſum huius rei doceat.

In praefamine breuiter de utilitate huius quaeſtionis agit, illosque viros qui illam partim inutilem reiecerunt, partim magni fecerunt et ſoluiſſe ſibi viſi ſunt adducit. In parte priori recenſet, quas venas p. 7. in morbis particularium partium corporis humani inciderint Graeci eorumque aſſeclae, quas Arabes et qui hos ſunt ſecuti. HIPPOCRATES, GALE- p. 17. NVS, utriuſque aſſeclae, ad ſanguinem a particulari corporis parte reuellendum ſemper venas parti affectae proximas incidi iuſſerunt, nec, niſi a ſex cauſis a Cl. Auctore allegatis impediti, remotas et remotiſſimas inciderunt, quod pluribus teſtatur exemplis ex HIPPOCRATIS, GALENI, CELSI, ORIBASII, ALEXANDRI TRALLIANI, PAVLI AEGINETAE ſcriptis, a quorum tamen ſententia recedere videntur AETIVS et ARETAEVS, cuius aſſertum autem Cl. PETIT interpretatione haud inepta cum HIPPOCRATIS ſententia reconciliauit. CAELIVS AVRELIANVS partim cum HIPPOCRATE conſenſit, partim ab illo diſſenſit.

Inter Arabes alii Graecos ſunt ſecuti, alii ab illo- p. 27. rum ſententia receſſerunt. Ad illos RHASES, RABBI MOYSES, HALY ABBAS, SERAPION, ad hos

vero IOANNES MESVE, AVENZOAR, et AVICENNA referri merentur. Qui vero ab Arabum aeuo uſque ad tempus, quo ſanguinis circulatio detecta fuit, hac de re in utramque partem diſputarunt medici, ſtudio eos tranſit Cl. Auctor ſilentio.

p. 35. In partis poſterioris capite primo Cl. Auctor notionem euacuationis ſanguinis per venae ſectionem, deriuationis reuulſionisque ſuppeditat, additis non nullis theorematibus phyſiologicis huic quaeſtioni ſoluendae neceſſariis. De euacuatione ſanguinis per venae ſectionem nihil vel parum eſt, quod adducit, cum, quid ſit illa, per ſe pateat. Deriuatio et reuulſio definitu eſt difficilior. Veteres circuitus ſanguinis ignari, cum ſanguinem in una eademque vena ſurſum deorſum, ultro citroque moueri poſſe opinarentur, longe aliam ea de re ſibi imiginati ſunt ideam, quam quae nunc cum cognitae circulationis ſanguinis legibus conuenire poſſet. Qui venam remotam incidi praecipiebant, ea ſecta, ſanguinem credebant a parte affecta retrahi, auerti et reuelli, inciſa vero proxima, in locum affectum retrahi illum et augeri. E contrario qui venae ſectioni in loco proximo inſtitutae fauebant, illa facta, ſanguinem ab affecta parte abduci et euacuari ſtatuebant. *Sanguinem* vero *deriuare in aliquam partem corporis per venae ſectionem*, Cl. Auctor ait, *nihil aliud eſt, quam efficere, ut ſanguis, inciſa aliqua vena, celerius et uberius per aliquam arteriam influat in eandem partem, quam influebat, antequam vena incideretur.* Reuulſionem appellant medici ſanguinis ab aliqua parte corporis auerſionem et retractionem. Cum eiusmodi vero reuulſionem neque per arterias neque per venas fieri poſſe, Auctor variis commonſtrat argumentis, aliam reuulſionis ſubſtituit notionem, qua illa fit, ſi inciſa vena intenditur, ut ſanguis in aliquas arterias et partes corporis pareius influat, quam ante inciſionem influeret. Ex quo mox patet, cum qualibet venae ſectione deriuationem reuulſio-

uulſionemque ſimul diuerſis tamen in partibus nexu eſſe coniunctam indiſſolubili.

Caput ſecundum proponit argumenta et theore- p. 42.
mata, quibus Cl. Auctor innixus omnem hanc doctri-
nam ſtabilire et confirmare ſtudet. In quibus pro-
ponendis ea uſus eſt methodo, ut praemiſſas propo-
ſitiones argumentis ex anatomia, phyſiologia et hy-
graulica doctrina petitis comprobet et corroboret, in
ſcholiis additis rem vel illuſtret vel argumenta, quae
forte obiici poſſent, ſoluat et in corollariis denique
uſum et applicationem oſtendat. Omnem rem demon-
ſtrandam undecim confecit propoſitionibus, quarum:

1) *Sanguis per alias arterias celerius naturaliter mouetur, per alias tardius.* Hinc fieri non poſſe colligit, ut tota corporis humani maſſa ſanguinea qualibet in hora viginti quatuor et quolibet in die quingentis et ſeptuaginta ſex vicibus per totum corpus circumeat:

2) *Euacuatio ſanguinis, quae fit per venae incisionem, proportionalis tandem fit in ſingulis vaſis et ſingulis partibus corporis diminutioni totius maſſae ſanguineae.*

3) *Secta vena alicui arteriae continua, ſanguis celerius et uberius influit in arteriam eandem, quam influebat, antequam vena tunderetur.* Ex hac propoſitione colligere licet, quanta ſit deriuationis menſura.

4) *Quo ſanguis ob quamuis cauſam celerius et uberius mouetur per aliquam arteriam, eo ſegnius et parcius, niſi quid obſtiterit, mouetur per proximas; et contra, quo ſanguis ob quamuis cauſam ſegnius et parcius mouetur per aliquam arteriam, aut in ea haeret et conſiſtit, eo celerius et uberius, niſi adſit impedimentum, mouetur per proximas.* Hac in propoſitione omnis quaeſtionis huius vertitur cardo: paullo copioſior itaque Cl. Auctor in hac enucleanda et corroboranda ad duo potiſſimum reſpicit, alterum, ſi ſanguis per arteriam, alterum, is ſi per venam celerius mouetur. Animo fingamus primum. Quo celerius ſanguis per arteriam aliquam mouetur, eo copioſius ille arteriam

hanc intret neceſſe eſt, hinc multo minor eius copia intrare poteſt in arterias proximas, in quibus adeo ille tardius mouetur. Nitide hoc amnis exemplo illuſtrat. Quodſi vero ſanguis celeriori motu tranſeat per venam aliquam, quod in ipſa venae ſectione euenit, ſequitur, ut reniſu ſublato, facilius ſanguis in venam ex arteria continuam tranſire poſſit, adeoque celerior eſſe oporteat ſanguinis motus in arteria, eoque minor eius copia peruenire poſſit ad arterias proximas, in iisque fiat motus lentior. Haec quoque Cl. Auctor exemplo aegrotorum diuturna gonorrhoea aut fluore uterino laborantium, aut nimiae veneri deditorum commonſtrat, quorum ſpina dorſi, cuius arteriis ſanguinem hac ex lege arteriae ſpermaticae et uterinae nimia in copia detrahere ſolent, inde adeo imbecillis redditur, ut vix recti incedere nec ſe flectere valeant aegri. Nec alterum huius propoſitionis membrum probatu eſt difficilius, quod iterum in duo eſt diſpeſcendum momenta. Si arteria aliqua obſtructa eſt, ſanguinis copia, alias per illam tranſire ſolita per arteriam proximam maiori raptu progreditur. Sanguis vero ſi haeret in aliqua vena, tranſit itidem per ramos collaterales. quod eo facilius fieri poteſt, cum ex minimis ramulis ad truncum maiorem ſanguini eunti non tanta ſubnaſcitur reſiſtentia, quam in arteriis; quo citatior vero eſt motus in venis, eo celerior quoque fit motus in arteriis his venis continuis. Hoc itidem variis ulterius demonſtrat exemplis, ex quibus pleuritidem veram, in qua pleura et muſculi intercoſtales inflammantur, ad-
p. 51. ducamus. Bronchialis arteria plerumque ex intercoſtalibus inferioribus orta, ſanguinem in pulmones ad illos nutriendos vehit, illaque in illis diuiditur. Quodſi itaque in pleuritide vera arteriarum intercoſtalium plures ſunt obſtructae, ſanguis maiori niſu irruit in bronchialem arteriam, ut iis proximam, illam nimis dilatat, vel disrumpit, ut itaque vel anaſtomoſi

ſtomoſi vel diaereſi ſanguinem aegroti reddant. Eadem quoque eſt cauſa, cur pleuritici ex faucibus et naribus imo vomitu ſanguinem reiiciant, et quare hepate et liene infarcto vel inflammato, per aluum exeat ille. Ex his in corollario primo concludit Cl. Auctor: ſi vena inciditur, quae ſanguinem ab arteria partis affectae proxima, non vero ab arteria ipſius partis affectae accipit, fieri ab arteria partis affectae reuulſionem, quod exemplo cucurbitae magnae ſub mammis applicatae fluxum menſtruum et lochiorum nimium cohibentis commonſtrat. In corollario ſecundo: ſi vena ſanguinem ab arteria partis affectae et illius vicina ſimul recipiens inciditur, euenire poſſe, ut vel parem ſanguinis copiam ab utraque, vel maiorem ab arteria partis affectae, vel minorem recipiat, igitur vel parem ab utraque arteria, vel maiorem in arteriam partis affectae vel minorem fieri deriuationem. In corollario tertio: vena, in qua ſanguis ex arteria, quae propior eſt arteriae partis affectae, influit, ſecta, maiorem citioremque ab arteria partis affectae fieri reuulſionem. Exinde colligi licet cauſam, cur in pectoris morbis incidendo venam brachii, maior et celerior fiat reuulſio, quam venam incidendo manus, et quare in capitis morbis vena eligi debeat colli, temporum et occipitis.

5) *Cum inciditur vena alicui arteriae continua, ſanguis celerius mouetur in ſectione arteriae, quae ceteris paribus propior eſt venae inciſae, et a corde remotior, quam in ea, quae eſt ab eadem vena remotior et cordi propior.* p. 61.

6) *Cum inciditur vena alicui arteriae continua, fit deriuatio ſanguinis in laterales ramos, qui ceteris paribus, ſatis acutum cum eadem arteria angulum efficiunt.* Cum ſanguini ex natura ſua in quolibet motu recta via procedendi mos eſt, multo minus a via ſua recta in motu celeriori deflectitur, lentiori igitur in ramos angulo recto ortos, celeriori vero motu in eos acuto

angulo prodeuntes intrat. Per ſe itaque clarum eſt, cur, ſecta vena quolibet in crure, ſanguis deriuetur in uterum, cui ſanguis per ſpermaticas arterias acutiſſimo angulo ex aorta deſcendente ortas ſuppeditatur, et cur raro in morbis artuum vena ſecari debeat artus morbo laborantis; quam tamen regulam ab omni exceptione vix liberam eſſe in ſcholio adiecto Cl. Auctor docet.

7) Haec propoſitio ſextae eſt oppoſita. *Cum inciditur vena alicui arteriae continua fit reuulſio ſanguinis a lateralibus ramis, qui cum eadem arteria vel obtuſum, vel rectum, vel fere rectum angulum efficiunt, quique in inciſam venam ſanguinem non mittunt.* In ſexta propoſitione demonſtratum fuit, ſanguinem in ramos ex arteria acuto angulo prodeuntes deriuari, adeoque his praeſuppoſitis non tanta ſanguinis copia ad ramos angulo obtuſo et recto egreſſos peruenire poteſt, quod vero Noſtro eſt reuulſio. Ex his itaque liquet 1) venae ſectionem in brachio optimum et celerrimum eſſe remedium in inflammationibus mammae eiusdem lateris, muſculorum ceruicis, intercoſtalium ſuperiorum, pleurae, aſperae arteriae et ſimilium partium his proximarum; 2) cur in motu corporis fortiori non frequentius pleuritis oriatur; 3) cur ſedentes et iacentes maiorem urinae reddant copiam, minorem ſtantes et ambulantes.

p. 69. 8) *Cum inciditur vena, quae ſanguinem recipit ab arteria lateris oppoſiti parti affectae, fit a parte affecta reuulſio minor et tardior, quam ſi incidatur vena, quae ſanguinem recipit ab arteria eiusdem lateris.*

9) *Cum inciditur vena, quae ſanguinem recipit ab arteria trunci oppoſiti parti affectae, fit a parte affecta reuulſio omnium minima et tardiſſima.* Vtriusque propoſitionis robur et probatio nititur fundamento in corollario tertio propoſitionis quartae iacto, et ſententiae L. BELLINI et Cl. SENAC prorſus eſt contraria, quam in ſcholio uberius Noſter refutat.

10) *Secta*

10) *Secta iugulari externa, fit a carotide interna* p. 74. *et a cerebro reuulſio.* Hanc propoſitionem ex anatomia, adiecta icone, et argumentis hygraulicis praemiſſis, ſententiaque I. B. SILVAE a Graecis diſſentientis exploſa, nitide et longiori corroborat demonſtratione, quam quae breuis a nobis, niſi illi ponderis iuſto plus detrahere velimus, recenſeri poſſit.

11) *Venae ſectio a quibusdam arteriis et partibus* p. 84. *corporis, tum aperto venae foramine, tum aliquanto poſtquam clauſum eſt, ſanguinem reuellit: ab aliis, eo aperto, illum reuellit; clauſo, in eas deriuat: in alias, tum eo aperto, tum clauſo, eundem deriuat.* Propoſitionem hanc a ſententia de la MOTHE l. ASTRVC, Arabum aſſerta defendentis non plane quidem diſſentire, ſed unico tantum in caſu valere, rationibus et experimentis Noſter oſtendit. Inciſae in morbis cerebri venae ſuperiores, iugularis externa aut baſilica eiusdem lateris, tum foramine earum aperto, tum aliquanto poſt clauſo, reuellunt ſanguinem a cerebro. Eadem eſt ratio in medii ventris morbis, quippe in quibus venam brachii lateris affecti, tum aperto, tum clauſo foramine ſectam ſequitur reuulſio. Et in infimi ventris morbis, ſectis venis ſuperioribus, oritur reuulſio, quae tamen pro ratione, qua illae a ſe inuicem diſtant, vel minor vel paullo maior deprehenditur. Hinc, ſuperioribus venis ſectis, ſanguis ab arteriis, coeliaca eiusque ramis, meſaraica ſuperiore et inferiore, renalibus, ſpermaticis, lumbaribus, iliacis utrisque reuelli poteſt, ad quam reuulſionem ex arteriis medii et imi ventris plurimum confert auxilii ſingulari ſtructura et poſitu uſuque inſignis vena azygos. Si venae inferiores crurum nempe et pedum inciduntur, fit, foramine earum aperto, reuulſio ab arteriis lateralibus aortae deſcendentis et iliacae eiusdem lateris, quae angulum cum aorta non acutum efficiunt, nec ſanguinem in inciſas venas vehunt; illarum vero apertura clauſa, reuulſio mutatur et oritur deriuatio.

deriuatio. In morbis partium infimi ventris, quarum arteriae cum trunco, unde procedunt, angulum efficiunt acutum, si inciduntur venae inferiores eiusdem lateris, fit ad easdem arterias et partes deriuatio, tum aperto earum foramine, tum aliquanto post, quam clausum est. Ex his itaque fluit, venam in renum, intestinorum, uteri, vesicae et testium affectionibus superiori in loco, raro in inferiori incidere licere.

Haec sunt, quae ad quaestionem hanc soluendam proponere necessaria duxit Cl. Auctor, quorum primaria tantum momenta, omissis a nobis breuitatis studiosis ut plurimum argumentis, quae robur propositis addunt, exeerpsimus persuasi, quemlibet, qui hac de re conuictus esse cupit, his excitatum iri, ut totam in nexu suo perlegat dissertationem.

p. 96. Quae in capite praecedenti ratione et legibus hygraulicis commonstrare annisus est Noster, iis nunc in capite tertio et quarto in variis morborum generibus, et quidem morbis mulierum, intestinorum, renum, vesicae, et testium, testimonia plurimorum medicorum addit. Ab initio capitis tertii omnem rem anatomicam ad hos morbos diiudicandos utilem pertractat, et deinde morbos mulierum diuidit in tres classes, in alios morbos, qui omnibus mulieribus sunt communes, in alios, qui grauidis proprii atque hi vel ante partum vel in partu, in alios, qui iis, qui pepererunt, obueniunt.

p. 100. Morbi cunctis mulieribus communes, in quibus opus esse potest venae sectione, sunt vaginae prolapsus, haemorrhoides seu tumores varicosi vaginae cum dolore, fluor albus, mensium vel suppressio vel fluxus nimius, pruritus et furor uteri, eius scirrhus, cancer, hydrops, et inflammatio. Sanguinem miserunt medici ex venis superioribus in prolapsu uteri et vaginae a copia humorum facto, in haemorrhoidibus et tumoribus varicosis cum vaginae dolore, in immo-

immodico menſium fluxu, in furore uterino et inflammatione. In fluore vero albo, in menſium ſuppreſſione, in ſcirrho, cancro et hydrope uteri pro ratione cauſarum venam et in brachio et in pede ſecandam eligerunt. In omnibus morbis grauidis propriis medici venam ſecaſſe in brachio loca teſtantur ex Auctoribus hic collecta. Pertinent autem ad hos morbos difficultas urinae reddendae, haemorrhoides ani, alui fluxus coeliacus, meſentericus et dyſentericus, menſium fluxus grauidarum, earumque nimia ſanguinis profuſio. In partu ipſo, ſi venae ſectionis neceſſitas adfuit, omni in caſu nec non in morbis poſt partum medici a Noſtro allegati elegerunt venam in brachio ſecandam, unica excepta ſuppreſſione lochiorum et inde oriunda conuulſione, quod tamen non conſtans nec omni exceptione maior deprehenſa fuit regula. Ex his omnibus denique Cl. Auctor concludit, ſaepius et ſaepiſſe in morbis mulierum eſſe eligendas ad inciſionem venas ſuperiores, rariſſime inferiores, quod etiam de morbis renum, inteſtinorum, teſtium et veſicae ſatis lucide oſtendit. p. 110. p. 117.

XIX.

XIX.

Plantarum americanarum faſciculus quintus continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS Botanicorum princeps detexit, eruitque atque in inſulis Antillis ipſe depinxit: Has primum in lucem edidit concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS, M. D. Profeſſor Botanices Amſtelodamenſis. Sumtibus Auctoris. Amſtelodami 1757. in fol. pl. 8. Tab. aen. XXV. a tab. 101 - 125. EIVSDEM Faſciculus ſextus 1757. in fol. pl. 7. Tab. aen. XXV a tab. 126-150.

Plantarum americanarum a PLVMIERIO delineatarum faſciculos duos iterum indicamus, et continuationem lubenter promittimus, cum ex iconibus, licet tantum linearibus nullisque umbris illuſtratis, et nouas, et in ſolo natali diſtinctius delineatas plantas cognoſcere poſſimus, Cl. BVRMANNVS quoque additis accuratis deſcriptionibus et utilibus obſeruationibus harum plantarum hiſtoriam ſtudio recentiorum botanicorum accommodare annitatur.

In *faſciculo quinto* continentur Corallodendri ſpecies tres, quarum prima ad Sophoram, reliquae ad Erythrinam referuntur; Corchori ſpecies duae et tertia, quam PLVMIERIVS Guazumam dixit; Cordia; Cornutia; Coronae ſolis ſpecies tres ad Buphthalmum relatae; Coronillae ſpecies una; Cortuſa ad Thaliam relata; Croci ſpecies, quae Gethyllis eſt; Cuiete quam melius Creſcentiam dicunt; Cupania; Cururu ſpecies duae et Serianae ſpecies tres, quae omnes ad Paullinias referuntur; Cytiſi ſpecies duae; Damaſonium ad Butomum referendum; Ranunculi ſpecies duae,

priori

priori ad Sagittariam, altera ad Commelinam relata; Dioſcorea et Polygonati ſpecies ad Dioſcoream reducenda. Dodonaea ad Ilicem relata et alia Ilicis ſpecies; Dorſtenia et duae Parietariae ſpecies, quarum prima ad Dorſteniam, altera ad Vrticam pertinet; Dracunculi ſpecies tres, quarum priores ad Arum, tertia ad Dracontium refertur; Echinops; Elichryſi ſpecies duae ad Centauream et Gnaphalium relatae; Emeri ſpecies ad Æſchynomenen deducta; Equiſeti ſpecies una.

Seligamus nunc ex obſeruationibus adiectis potiores. *Erythrina inermis foliis pinnato ternatis, ſinuoſo ouatis floribus ſpicatis*, ſpinis quidem deſtituitur, attamen Corallodendri ſpinoſi varietas videtur; notum enim eſt, varias plantas in calidis regionibus et in noſtris hybernaculis uti foliorum figuram mutant, ſic etiam ſpinas exuere. *Cordiam* PLVMIERII, BROVWN in Hiſt. Iamaic. *Geraſcantum* dixit, haec vero mutatio Cl. Editori ideo diſplicet, quod genera diu recepta non mutanda, noua autem nomina aliis minus notis imponenda ſunt. *Coronae ſolis* multas ſpecies ad *Aſteriſcos* et ex recentiorum definitione melius ad *Buphthalmos* referendas eſſe, Cl. Editor monet, cum tamen ſemina non ſemper adpicta ſint, genus non certo definiri poteſt, ideoque ultimam forte ſpeciem ad *Rudbeckiam* referri poſſe concedit. *Cortuſa arundinacea amplis cannacori foliis* conſpicua et ad *Thaliam* relata ad plantas aromatica et alexipharmaca radice praeditas omnino pertinere videtur. *Cururu* et *Seriſas* nimis ſollicite diſtinxit PLVMIERIVS. Cl. Editor itaque ſequutus eſt LINNAEVM, qui haec duo genera in unam *Paulliniam* coniunxit, ad ſeruandam memoriam SIMONIS PAVLLI Botanici Dani celeberrimi. Planta, quam ad *Ranunculum* retulit PLVMIERIVS nec ad *Aliſma* nec ad *Sagittariam* pertinere credidit Cl. Editor, quoniam cum corolla tripetala et calyce triphyllo caulis folioſus eſt, licet enim folioſum illud

p. 93. p. 95. p. 97. p. 99. p. 104. p. 107.

illud et cordatum florale inuolucrum, quod multis *Commelinis* proprium eſt, deficiat, habitus tamen de
p. 108. reliquo egregie conuenit. *Dodonaeam* PLVMIERII iam ad *Ilicem* ſiue *Agrifolium* retulit LINNAEVS, ob inſignem habitus et floris conuenientiam. DODONAEI vero nomen, ad diſtinguendam quandam *Sta*-
p. 110. *phylodendri* ſpeciem relata fuit. *Dorſtenia* ex obſeruatione HOVSTONI ea planta eſt, quae veram *Contraieruae* radicem alexipharmacam praebet, cum autem noſtrae plantae placenta flores ſuſcipiens non ſit orbicularis, ſed quadrata et ſinuoſa foliaque profundius laciniata inueniantur, varietas eſſe videtur, niſi
p. 115. noua ſpecies iudicanda. *Emeri* ſpecies ad *Æſchinomenen* translata propius accedit ad *Seſban* PROSP. ALPINI, ſed flores magis hirſuti et in rariorem ſpicam diſpoſiti contradicere videntur.

Accedamus nunc ad recenſendas praecipuas *faſciculi ſexti* plantas, in quo occurrunt: Ereſia, quae a recentioribus Theophraſta dicitur, Euonymus, qui ad Prunum refertur, Eupatorii ſpecies quinque, quarum ultima ad Conyzam accedit, Ficus ſpecies quinque, Fuchſia, Gesneriae ſpecies duae, Galega ad Craccam pertinens, Genipa, Gesneriae ſpecies nouum genus Craniolariae conſtituens, Granadillae ſeu potius Paſſiflorae ſpecies tres, Filix ad Osmundam relata, Groſſulariae ſpecies quatuor, quae ad Melaſtoma pertinent, Guanabani ſiue Anonae ſpecies duae; Guazuma Theobromae ſpecies, Conocarpus, Guaiabarae ſpecies duae ſiue Coccolobis BROWNII, Guidoniae ſiue Samydae ſpecies tres, Hedera arbor Araliae ſpecies, Hedyſari ſpecies duae, quarum poſterior ad Æſchynomenen refertur, Helianthemi ſpecies duae, quarum prior ad Turneram, altera ad Portulacam pertinere videtur.

p. 125. Nunc ſparſim quaedam ex obſeruationibus collecta ſubiungamus. Rarior planta eſt *Fuchſia*, tetrandria monogynia videtur Cl. Editori, nobis autem pentan-

pentandria ſiue pentanthera, ſi enim quatuor ſtamina adeſſent, duo certe altius, duo inferius collocata eſſent, ut in didynamiis: calix in fructum abit truncatus, nec ullis foliolis inſtructus. Nec minus elegans et flore et habitu eſt *Cranio-laria* a *Gesneriae* ſpeciebus ſeparata, ob calicem longum patentem profundius quinquifidum, corollae ſpecioſae lacinias fimbriatas et punctatas, et tandem ob fructificationem diuerſiſſimam: nux enim cranium alicuius ferae repraeſentans nomini generico occaſionem dedit. *Guanabani* ſiue *Ananonae* plantae multae ſunt ſpecies vel etiam ſaepe varietates, quae per totam Indiam, tam orientalem, quam occidentalem, praeſertim vero per Americae partem calidiorem, laete creſcunt et gratum et ſalubrem praebent fructum, qui praecipue in diarrhoeis et morbis biliofis utilis eſt. *Guajabaram* PLVMIERII ad Polygoni genus retulit LINNAEVS, quod flores axillares in racemis proferat, octo ſtamina, piſtillum triquetrum et baccas monoſpermas obtineat et petioli florum circa caulem inſtar vaginae ducantur. Cum tamen Cl. BROVWNIVS floris characterem in viua planta diſquiſiuerit, ad *Coccolobin* Cl. Editor retulit.

p. 128.

p. 134.

p. 137.

XX.

Diſſertatio inauguralis de Anagallide, Auctore CAROLO LVDOVICO BRVCH, Tabernaemontano. Argentorati 1758. 4. pl. 7.

Anagallidis ſpecies, quam diſquiſitioni ſubiecit Cl. Auctor, ea eſt flore phoeniceo. Poſt amplam ſatis tractationem de nomine, genere atque iconibus huius plantae, inter quas Blakwellianam et Robertianam pro optimis habet, varia leguntur experimenta circa anagallidem inſtituta. Recentis plantae librae undecim contuſae et prelo commiſſae ſucci bruni libras quinque exhibuerunt. Per deſtillationem ex retorta primo obtinuit Noſter aquam ſapore et odore deſtitutam, deinde liquorem acidum non nihil empyreumaticum, tandem oleum craſſum empyreumaticum. Carbo in cineres redactus et elixiuatus ſal alcalinum ſuppeditauit. Cl. GEOFFROI ex planta hac ſal urinoſum ſe obtinuiſſe dicit, cuius vero Noſter nullum veſtigium inuenit. Concludit tandem ex omnibus, quae inſtituit, experimentis, anagallidem conſtare ex aqua, partibus reſinoſis, gummoſis terreisque. Quoad ſaporem anagallis ad radicem Seneckam proxime accedit, cuius quidem praecipua vis in gummoſis, anagallidis in reſinoſis partibus haeret. Vires itaque eius in genere ſunt reſoluentes et ſtimulantes. Contra melancholiam atque maniam iam dudum virtus eius commendata eſt. Porro quoque tanquam medicamentum emmenagogum, antepilepticum, purgans, ſudoriferum, diureticum et alexipharmacum planta iſta a variis auctoribus depraedicatur. Sed tandem Cl. Auctor praeſtantiſſimam anagallidis virtutem in eius vi antilyſſa ponit. Rabiei duae ſunt ſpecies, innata ſcilicet et acquiſita, et contra hanc anagallidis uſus laudatur. Fuit enim in patria Cl. Auctoris vir quidam, qui puluerem iſtius

plantae

plantae vendidit et demorſis exhibuit optatiſſimo cum effectu. Doſis eſt a drachma dimidia ad ſcrupulos quatuor de die bis ſumenda. Vulneribus quoque ex morſu animalium rabidorum quotidie ſemel adſpergendus eſt puluis iſte. Poſt adſumtum interne puluerem multi aluum experti ſunt crebriorem, alii ſudorem foetidum. Ob eximiam itaque hanc anagallidis virtutem in Ducatu Bipontino et per totum Bambergenſem principatum publico mandato iuſſum eſt, anagallidem quotannis colligi, ut ſuffieiens ſemper quantitas in quauis villa aſſeruetur. Mandata ipſa in appendice diſſertationis leguntur, uti et caſus quidam, in quibus ſalutaris huius plantae uſus contra animalium rabidorum morſus declaratur.

XXI.

Noua phyſico-medica.

Academiae Scientiarum Imperatoriae Petropolitanae Praeſes et Membra ſub initium anni CIↃ IↃ CC LVIII.

Praeſes.

CYRILLVS COMES A RASVMOWSKI, Minoris Ruſſiae Hettmannus, AVGVSTAE Camerarius ordinarius, Legionis Praetorianae Ismailouicae Pro-tribunus, S. Andreae, Aquilae albae, S. Alexandri et S. Annae Eques.

Cancellariae Academicae praeſunt:

IO. DANIEL SCHVMACHER, Conſiliarius Status et Bibliothecarius.

MICHAEL LOMONOSSOW, Conſiliarius et Profeſſor Chemiae.

IACOBVS STAEHLIN, Conſil. aulicus et Prof. Eloq. et Poeſ.

IOANNES TAVBERT, Aſſeſſor et Subbibliothecarius.

Scientiis Academicis operantur et conuentus ordinarios frequentant:

GERARDVS FRIDERICVS MÜLLER, Hiſtoriographus Imp. Academiae Secretarius et Profeſſor Hiſtoriarum.

MICHAEL LOMONOSSOW, Conſiliarius et Profeſſor Chemiae.

ABRAHAM KAAV BOERHAAVE, M. D. et Anatomiae Profeſſor.*

IOSEPHVS ADAM BRAVN, Profeſſor Philoſophiae.

IO. CHRISTIANVS HEBENSTREIT, M. D. Prof. Botan. et Hiſt. nat.

AVGVSTIN NATHANAEL GRISCHOW, Profeſſor Aſtronomiae.

NICETAS POPOW, Profeſſor Aſtronomiae.

VLRICVS CHRISTOPH. SALCHOW, M. D. et Profeſſor Chemiae.

IOANNES ERNESTVS ZEIHER, M. D. et Prof. Mechanices.

FRANCISCVS VLRIC. THEODOR. AEPINVS, Profeſſor Phyſices.

SIMEON KOTELNIKOW, Profeſſor Matheſeos extraordinarius.

Academicorum etiam nomine habentur:

IACOBVS STAEHLIN, Conſiliarius aulicus et Prof. Eloq. et Poeſ.

IOANNES TAVBERT, Aſſeſſor et Subbibliothecarius.

BASI-

* Poſt illud tempus, ex quo hunc Petropoli accepimus Sociorum catalogum, obiiſſe Cl. BOERHAAVE, ex praecedenti commentariorum noſtrorum faſciculo iam conſtat.

BASILIVS TREDIAKOWSKI, Profeſſor Eloq. Ruſſicae.

IO. EBERHARDVS FISCHER, Prof. Hiſtoriarum.

Academiae Adiuncti, qui in Conuentibus ordinariis locum habent:

MICHAEL KLEINFELD, pro Anatomia.

IOSEPHVS THEOPH. KOELREVTER, M. D. pro Hiſtoria naturali.

STEPHANVS RVMOWSKI, pro Matheſi.

Adiunctorum quoque nomine vocantur:

ANDREAS KRASILNIKOW, Centurio et Obſeruator Aſtronomicus.

IOANNES TRVSCOT, et

M. IACOBVS FRIDERICVS SCHMIDT, tabularum Geographicarum conſtructores.

Academici honorarii in Imperio Ruſſico degentes:

PAVLVS CONDOIDI, AVGVSTAE Conſiliarius intimus, Archiater et Cancellariae Medicae Praeſes.

CHRISTIANVS A GOLDBACH, Conſiliarius Status actualis in Collegio extera negotia curante.

IOANNES DE GORTER, et

DAVID DE GORTER, AVGVSTAE Medici ordinarii.

GREGORIVS TEPLOW, AVGVSTAE Conſil. apud Excell. Hetmannum.

IOANNES FRIDER. SCHREIBER, M. D. Conſil. aulicus et Prof. Anat. et Chirurgiae in Noſocomiis Petropolitanis.

CAROLVS FRIDER. CRVSE, M. D. Legionum Praetorian. Medicus ordinarius.

Academici exteri quotquot fuerunt omnes ab initio Academiae. Demortui aſteriſco notantur:

1725. *CHRISTIANVS L. B. DE WOLFF, Marburgi.
*IOANNES BERNOVLLI, Baſileae.
IOANNES POLENI MARCHIO, Patauii.
*PETRVS ANT. MICHELOTTI, Venetiis.
1731. *HANS SLOANE, Eques, Londini.
*HERMANNVS BOERHAAVE, Lugduni Bat.
*FRIDER. HOFFMANN, Halae Magdeb.
*IACOBVS HERMANN, Baſileae.
*GEORG. BERN. BVLFFINGER, Tubingae.
1733. DANIEL BERNOVLLI, Baſileae.
*MICHAEL LILIENTHAL, Regiomonti.
1735. IOANNES IAC. D'ORTOVS DE MAIRAN, Pariſiis.
*RENATVS ANT. DE REAVMVR, Pariſiis.
IOANNES BAPT. MORGAGNI, Patauii.
GODOFREDVS LENGNICH, Gedani.
IOANNES ROVSSET, Hagae Comitum.
1738. *IOANNES SIMON BECKENSTEIN, Regiomonti.
PETRVS LVDOV. MOREAV DE MAVPERTVIS, Pariſiis.
1739. ANTON GAVBIL, S. I. Pekini.
1741. IO. DANIEL SCHOEPFLIN, Argentorati.
*IO. HENR. SCHVLTZ, Halae Magdeb.
*IO. GABRIEL DOPPELMAIER, Noribergae.
LEONARDVS EVLER, Berolini.
1744. *GEORG. WOLFG. KRAFFT, Tubingae.
GODOFREDVS HEINSIVS, Lipſiae.
1746. SALVATOR FRANCISCVS MORAND, Pariſiis.
*IOANNES IAC. MARINONI, Viennae Auſtr.
FRANCISCVS DE VOLTAIRE, Berolini.
N. DE PERARD, Stetini.
1748. IOANNES SAMVEL FORMEY, Berolini.
1749. *ANGELVS MARIA QVIRINI, S. R. E. Cardinalis, Brixiae.
IOSEPHVS ANDR. COMES DE ZALVSKI, Varſauiae.

M. D'AN-

N. D'ANVILLE.
GEORGIVS PARKER COMES DE MACLESFIELD, Londini. 1753.
CRISTIANVS GOTTLIEB KRATZENSTEIN, Hafniae.
GERARDVS VAN SWIETEN, Viennae Auſtriae. 1754.
IACOBVS BRADLEY, Londini.
HVMPHREDVS SIBTHORP, Oxoniae.
N. DE LA CONDAMINE, Pariſiis.
ALEXIVS CLAIRAVT, Pariſiis.
PETRVS VAN MVSCHENBROEK, Lugduni Bat.
CHRISTIAN. BERN. ALBINVS, Lugduni Bat.
HIERONYMVS DAVID GAVBIVS, Lugduni Bat.
IOANNES ANDR. DE SEGNER, Halae Magdeb.
CAROLVS LINNAEVS, Vpſaliae.
PAVLVS FRISIVS, Piſis. 1755.
PHILIPPVS ADOLPH. BOEHMER, Halae Magd. 1756.
IOANNES GEORGIVS ROEDERER, Goettingae.
IACOBVS THEODORVS KLEIN, Gedani.
NICOLAVS LVDOV. DE LA CAILLE, Pariſiis.
COELESTINVS CHRIST. FLOTWEL, Regiomonti.
CLAVDIVS NICOLAVS LE CAT, Rothomagi. 1757.

Commemorata iamiam Imperialis ſcientiarum Academia Petropolitana diem almae nutricis ſuae nomini ſacrum celebrauit ſuperiore anno 1758 die ſeptimo menſis ſeptembris ſtyli veteris ſolemniore conuentu, in quo *de ſimilitudine vis electricae atque magneticae* Cl: FRANCISCVS VDALRICVS THEODOSIVS AEPINVS, Phyſices Experim. et Theor. Prof. P. O. publice diſſeruit, atque Cl. SIMEON KOTELNIKOW, Mathem. Prof. P. Extraord. *theoriam aſcenſionis vaporum* ruſſica lingua explicauit.

Eadem porro occaſione *Idem* illud Collegium praemia de commentariis ſuper duplici quaeſtione olim

ad annos 1757 et 1758 propoſita *, ipſi exhibitis decreturum, declarauit, eos, quos acceperit, neo voluntati ipſius feciſſe ſatis, neque numero ad delectum requiſito, ipſi fuiſſe exhibitos; hinc ſe velle, ut *eaedem quaeſtiones in poſterum quoque maneant propoſitae, praemiaque eo tempore conferantur, quo de quaque materia diſſertationes adfuerint, quae iure ſuo ad certamen concurrere poſſint.*

Argumentum ad praeſentem annum 1759 referendum, *de ſexu plantarum inueſtigando*, nuper iam a nobis fuit indicatum.**

Nouam porro quaeſtionem, cuius diſquiſitiones anno 1760 examinari debent, *Eadem* exhibuit Illuſtris Academia: *Indagare* nimirum *experimentis refractionem radiorum lucis in diuerſis corporibus, tam ſolidis, quam fluidis, indeque eruere, quantum diuerſae grauitati ſpecificae corporum, quantumque variae particularum cohaeſioni, aut principiis corpora conſtituentibus, magnitudo refractionis debeat, idque omne per theoriam, quae inſtitutis experimentis reſpondeat, explicare.* Conditiones iam ſatis notae, ſub quibus centum aureorum praemium optimae ſingularum quaeſtionum diſcuſſioni promittitur, obtinent adhuc eaedem. Ante diem porro primum menſis iunii cuiusque anni diſſertationes cum Academia communicandae, ipſi debent exhiberi.

Quam Regia *Gottingae* florens ſcientiarum Societas quaeſtionem phyſicam, ad annum, quem iamiam agere coepimus, 1759 eruditorum diſquiſitioni propoſuerit, nuper quidem ad lectores noſtros retulimus.*** Suum vero illa mutauit ex iſto tempore conſilium, et in illius theſeos locum aliam exhibens,

verain

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. III. p. 545.
** l. c. Vol. VI. P. III. p. 541.
*** l. c. Vol. VI. P. III. p. 544.

veram rubri coloris in ſanguine obuii cauſſam nunc cupit indagandam. Vel iam ſatis huc uſque inter phyſiologos cognitas, nunc vero magis certiusque confirmandas, vel alias his potiores et rectiores viſas cauſſas ſuppeditare poterunt viri docti, dummodo veritatem attigerint.

Eadem Ill. Societas in ſolemniore conuentu nuperrime decimo octauo die menſis nouembris 1758 habito Viri Cl. IOANNIS AVGVSTI SCHLETTWEIN, artium et philoſophiae in Academia Ienenſi Magiſtri, commentarium ſuper oeconomica olim propoſita * quaeſtione *de frumenti per macerationem augenda foecunditate* ad ipſam miſſum praemio huic diſquiſitioni optimae promiſſo, cohoneſtauit.

In eodem *Illa* inſuper conuentu medicum Lucenſem Clariſſimum, IOSEPHVM BENVENVTVM, in eorum claſſem a ſe relatum eſſe declarauit, quibuscum ipſa literarum habeat commercium.

Regia Chirurgiae Academia *Pariſienſis* propoſuit nuper argumentum, cuius optimae diſcuſſioni praemium conſuetum adiudicabit ſequenti anno 1760. ut nimirum, doctrina de fiſtulis in genere riteque explicata, optimus determinetur modus, quo illae pro diuerſis, in quibus obuenire poterunt, corporis partibus curari debeant. Quod fiſtulam quidem attinet lacrymalem illamque in canali ſaliuali obuiam, hac copioſius explicanda ſuperſedere poterunt hanc materiam expoſituri, niſi nouas iis, quas de his generibus iam publicauit Academia, adiicere poſſint obſeruationes.

Berolinenſis Regia Scientiarum Academia praeter alios viros doctos, ſociorum claſſi nuper adſcriptos,

* l. c. Vol. V. P. IV. p. 722.

ex medicis etiam ſequentes ſodalium titulo atque honore condecorauit: IANVM PLANCVM, (GIOVANNI BIANCHI) Medicum Ariminienſem Primarium, IOANNEM IACOBVM LEIDENFROST et IACOBVM REINHOLDVM SPIELMANN, utrumque Medicinae Profeſſorem Argentoratenſem et IOANNEM FRIDERICVM CARTHEVSER, Francofurti ad Oderam Botanices Profeſſorem, et, quem inſuper nominemus, uti Virum de hiſtoria naturali meritiſſimum, IACOBVM CHRISTIANVM SCHAEFFER, Ratisbonenſem verbi diuini Miniſtrum.

Halenſis Academia ciuitasque iacturam fecere nuper ſatis grauem Viri, quo aetate adhuc iunioris, eo magis propter induſtriae et eruditionis merita aeſtimandi, CHRISTIANI FRIDERICI IAMPERT, Med. D. qui ſuperiore anno, die menſis iunii viceſimo tertio febre acuta extinctus fuit anno aetatis viceſimo nono. Quidnam ab ipſius ſtudio expectare potuerit eruditus orbis, praeter alias ab ipſo conſcriptas diſſertationes, vel quoque *ſpecimina phyſiologiae plantarum* alio tempore a nobis recenſita*, teſtantur.

XXII.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1755 prodierunt.

Verhandelingen vitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weeten Schaappen te Haarlem. Eerſte Deel, Tweede Druck. Te Haarlem, 8. c. f.

Verhandelingen, vitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weeten Schappen te Haarlem. Tweede Deel. Te Haarlem, 8. c. f.

Nuova

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. Part. II. p. 274 ſeqq.

Nuova Raccolta d' opuſcoli ſcientifici e filologici. Venezia, 12.

Diſcorſi epiſtolari ſopra i fuochi di Loria. Venezia, 4. (*Auctor Cl.* IOAN. LARBER.)

Underrättelſe om ſtroem mingars anſande och ſaltande författad och utgifwen pa K. Commerce Collegii befallning. Stockholm.

CAR. ALSTON, ſecond Diſſertation on quiklime and Lime-Water. London, 8.

Hiſtoire de l' hydrocephale de Begle jusqu' au 13 Sept. 1755. par M. BETBEDER; à Bourdeaux, 12.

FRANCISCI BOOGERZ, Diſſertatio inaug. de conſtitutione atmoſphaerae Hollandiae eiusque efficacia in corpus humanum. Lugd. Bat. 4.

GVILIELMI BROVGHTON, Diſſ. med. inaug de ulcere uteri. Edinburgi, 8.

IOHANNIS CABREL, Proluſio med. inaug. de animi pathematibus quatenus morborum cauſis. Edinburgi, 8.

Traité des ecrouelles, par M. CHARMETTON. à Lyon, 8.

OLAI DECKBERG, Beskrifning huru et Kälſoſamt win i ſwerige lätt kan tilwärkas. Stockholm.

IOHANNIS MAC DONNELL, Diſſ. med. inaug. de calculo. Edinburgi, 8.

RICHARDI ECROYD, Diſſ. med. inaug. de rachitide. Edinburgi, 8.

GVILIELMI FARR, Diſſ. med. inaug. de uſu mathematices et philoſophiae naturalis in medicinae ſtudio. Edinburgi, 8.

GEORGII FORREST, Diſſ. med. inaug. de ventriculi concoctione laeſa. Edinburgi, 8.

CAROLI GIANELLA. Orat. Non ſemper ex cadauerum ſectione colligi poteſt: rectene an perperam ſit curatio morbi inſtituta? Patauii, 4.

SIMON GOOLD. Diſſ. med. inaug. de ventriculi imbecillitate. Edinburgi, 8.

IOHAN-

IOHANNIS HALL, Diſſ. med. inaug. de febre acuta puerperis ſuperueniente. Edinburgi, 8.

PEHR HOGSTRÖM, om orſakerna hwarföre fäden mera ſkadas af köld pa ſomliga orter Norrland än pa andra. Stockholm.

Eiusd. Kort berettelſe om lapparnas biörnefänge ſamt deras derwid brukade widskeppelſe. Stockholm, 8.

C. F. IAMPERT, Specimen phyſiologiae plantarum II, quo dubia contra vaſorum in plantis probabilitatem continuantur. Reſp. *F. C. Schwalbe.* Halae, 4.

SAMVEL KLINGENSTIERNA, Tal om de nyaſte Rön wid Electriciteten. Stockholm.

LAVCHLIN MAC LEANE, Diſſ. med. inaug. de eryſipelate. Edinburgi, 8.

Eclairciſſemens eſſentiels pour parvenir à preſerver les dents de la carie et à les conſerver jusqu'à l'extreme vieilleſſe, par M. L'ECLVSE. à Paris, 12.

CAROLI LINNAEI Diſſ. Somnus plantarum. Reſp. *Petr. Bremer.* Vpſal.

Eiusd. Diſſ. Fungus Melitenſis. Reſp. *I. Pfeiffer.* ibid. 4.

IOANNIS MACFARLAN Diſſ. med. inaug. de dyſenteria. Edinburgi, 8.

GVALTERI MAXWELL, Tentamen med. inaug. de emeticorum uſu. Edinburgi, 8.

CAESAREI POZZI, Epiſtola ad ANTON. LAGHI *notitiam experimentorum de irritabilitate partium corporis humani repetitorum exhibens.* Florentiae, fol.

Phyſicae generalis methodo mathematica tractatae Tomus primus. Auctore IOANNE BAPTISTA SCARELLA. Brixiae, 4.

AEGIDII SIEBEN, Diſſ. inaug. de nephritide. Lugd. Bat. 4.

HENR. TENCKE, Inſtrumenta curationis morborum depromta ex pharmacia galenica et chymica, chirurgia et diaeta, editio quarta emendata. Lugd. Bat. 12.

Iſtoria et Fenomeni del Veſuvio eſpoſti dal P. GIOV. MARIA DELLA TORRE. Napoli, 4.

IACOBI WAINWRIGHT, Diſſ. med. inaug. de hydrocephalo. Einburgi, 8.

IO. ERNEST. BASIL. WIDEBVRG, Diſſ. inaug. de microſcopio ſolari et praeſertim noua aliqua eiusdem inſtructione. Reſp. *Laur. Io. Iacob. Lange.* Erlang. 4.

XXIII.

Supplementum indicis Scriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756. prodierunt.

Philoſophical Transactions giving ſome account of the preſent undertakings, ſtudies and labours of the ingenious, in many conſiderable parts of the world. Vol. XLIX. Part. I. for the Year 1755. London, 4. c. f.

Saggi di medicina degli Academici conghietturanti di Modena. Tomo I. Carpi, 4.

Actorum phyſico medico-forenſium Collegii Medici Onoldini. Vol. II. Onoldini, 4.

Berättelſe om K. Collegii medici Göremal och för fattningar til Siukdomars botande och för Kommande i Riket, i ſynnerhet Sedan Siſta Riksdagen. Stockholm.

Deſcrizione di tutte le pietre ed ornamenti che ſi ammirano nella fabbrica dell' Imperial Capella dei repoſiti degli eſtinti Granduchi della Toſcana. Edizione ſeconda corretta ed accreſcinta. Firenze, 8.

Lettera ſcritta dal Sig. N. al Sig. COSIMO SIRIES. (*Lucca*) 8. *Contra chirurgiae Profeſſorem Florentinum*, DOMINICVM MASOTTI, *ſcripta eſt haec epiſtola, ut probetur*, COSMAM SIRIES, *non vero*

vero MASOTTI, *inſtrumentorum ab hoc commendatorum lithotomiae inſeruientium, eſſe auctorem et inuentorem.*

Lettere ed Opuſcoli Ippiatrici; o ſino intorno la Medicina de Cavalli; con l'aggiunta d'una breue Farmacopea Ippiatrica; o ſia ſcelta di Ricette per curare i loro mali, ed un Compendio Ippoſteologico, o Sia breue Trattato Sopra le oſſa di Cavallo. Vol. I. in Arimino, 8. (*Auctor eſſe dicitur Cl.* FR. BONZI.)

A new and complet Dictionary of Arts and Sciences, comprehending all the branches of uſeful knowledge, with accurate deſcriptions as well of the various machines, inſtruments, tools, figures and ſchemes neceſſary for illuſtrating them, as of the claſſes, kinds, preparations, wheter Animals, Vegetables, Minerals, Foſſils or Fluids; together with the Kingdoms, provinces, cities, towns and other remarkable places in the known world; illuſtrated by above three hundred copperplats; the whole extracted from the beſt authors in all languages; by a Society of Gentlemen. 4 Voll. London, 8.

Würtenbergiſche Medicinal-Ordnung. Stuttgard, fol. et 4.

Würtenbergiſche Apothekertaxa. ibid. fol. et. 4.

PETR. ION. BERGIVS, Förſöck til de uti ſwerige gangbare Stuck domars utrönande för Aor 1755. Stockholm, 8.

FRIEDRICH BÖRNERS *Nachrichten von den vornehmſten Lebens-Umſtänden und Schriften jetztlebender berühmter Aerzte und Naturforſcher in und um Deutſchland. Dritten Bandes viertes Stück. Wolfenbüttel*, 8.

Sermo academicus de inſignioribus telluris mutationibus habitus a IOSEPHO ADAMO BRAVNIO. Petropoli. 4.

Diviſa-

Diviſamento critico Sulle correnti opinioni intorno a fenomeni del Veſuvio e degli altri Volcani; dal P. GAETANO D'AMATO. in Napoli, 8.

PEHR KALM, Diſſ. trän och häckar eller leſwande Gaordes-Gaordar beskrefne. Reſp. *Dav. Er. Hofmann.* Abo.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED, Progr. de ſcirrho hepatis inueterato curato. Ien. 4.

Eiusd. Pr. de raro caſu, ubi inteſtinum rectum in veſicam urinariam inſertum fuit. ibid. 4. c. f.

I. MICHEL LAMBERTI, Lettera al Signor BIANCHI unite a quella diverſe obſervazioni ſopra la ſenſibilita del pericranio e tendini degli uomini. Aleſſandria della Paglia. 8.

Traité des eaux minerales de Spa; par IEAN PHILIPPE DE LIMBOVRG. Seconde Edition, revûe, corrigée et augmentée par l'auteur; à la quelle on à joint une Carte des environs de Spa; à Liege, 8.

WILH. MAC-NEVEN, Specimen Siſtens experimenta quaedam, quibus conſtitit, eas partes eſſe ſenſu praeditas, quibus HALLERVS cum aliis quibusdam omnem ſentiendi facultatem cum irritabilitate denegat. Reſp. *Ignatius Radniczky.* Pragae.

CHRIST. LVD. MOEGLING, Diſſ. Anaemia theoretice et practice perluſtrata. Reſp. *Chriſtoph. Godofred. Richter.* Tubing. 4.

FR. PALMQVIST, Grunderne til Mechanicken. Stockholm, 8. c. f.

IOSEPHI RAMAZZINI, Oratio in funere MORANDI MORANDI, Finarienſis Ateſtani Principis Conſiliarii Medici et Coniecturantium Academiae Praeſidis. Mutinae, 4.

Contenta in hac parte.

1. Hiſtoire naturelle generale et particuliere avec la deſcription du Cabinet du Roi Tom. VI. p. 3.
2. I. S. HALLER *die Naturgeſchichte der Thiere in ſyſtematiſcher Ordnung. Die Vierfüsſigen* cet. p. 15.
3. IMBERT Tentamen medicum de variis calculorum biliariorum Speciebus cet. p. 26.
4. KRAMER Elenchus vegetabilium et animalium Auſtriae inferioris p. 33.
5. LVDWIG Inſtitutiones hiſtorico phyſicae regni vegetabilis p. 35.
6. ROEDERER de uteri ſcirrho p. 42.
7. EIVSDEM Obſerv. med. de partu laborioſo Decas. I. et II. p. 45.
8. NORDMANN Diſſ. de iſchuria grauidarum p. 53.
9. BÜCHNER Diſſ. de viribus vitri antimonii cerati p. 54.
10. VANDELII Diſſertationes tres de Aponithermis cet. p. 56.
11. Saggi di Medicina degli Accademici Conghietturanti di Modena Tom. I. p. 64.
12. Eſſays and obſervations phyſical and litterary. Tom. II. Edinbourgh. p. 68.
13. BIANCHI de bagni di Piſa p. 104.
14. Raccolta d' opuſcoli ſcientifici et filologici Tom. L et LI. p. 110.
15. Noua Acta phyſico medica Academiae Caeſareae Naturae curioſorum Tom. I. p. 113.
16. BRENDEL Diſſ. de pleuritide vernali et aeſtiua p. 154.
17. *Der mediciniſchen Societaet in Budiſſin Sammlungen und Abhandlungen aus der Arzneygelahrheit* p. 159.
18. PLACENTINI Diſſ. de vena, quae in morbis particularium partium ſit ſalutarius incidenda p. 164.
19. PLVMIERII plantarum americanarum faſciculus V et VI. p. 174.
20. BRVCH Diſſ. de anagallide p. 178.
21. Noua phyſico-medica p. 179.
22. Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1755. prodierunt p. 186.
23. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756. prodierunt p. 189.